IN

IOB

LOCUM CELEBERRIMUM

DE GOË

COMMENTATIO PHILOLOGICO-

AUCTORE

IOANNE GUSTAVO

PHILOS. ET THEOL. DOCT. PRO

SOCIETATIS ASIATICAE PARI

IENAE

SUMTIBUS CROEK

MDCCCXXX

IN

B I

IMUM C. XIX. 25-27.

GOËLE

GICO-HISTORICO-CRITICA

TORE

TAVO STICKEL

T. PROF. EXTRAORDINAR.

E PARISIENSIS SODALI.

N A E

ROEKERIANIS.

XXXII.

SUMMIS VIRIS

GRAVIBUS THEOLOGICORUM STUDIORUM

FAUTORIBUS

QUORUM

PATROCINIO ET AUCTORITATE

EFFECTUM EST

UT

SYLVESTRIS DE SACY

IMMORTALITER DE LITTERIS ORIENTALIBUS

MERITI

PRAESENTI INSTITUTIONE

FRUI SIBI CONTIGERIT

HUNC LIBRUM

PII GRATIQUE ANIMI INTERPRETEM

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

PRAEFATIO.

Tam copiosam de tribus quibusdam Veteris Testamenti iisque brevibus versiculis me paene pudet conscripsisse commentationem. Audire enim mihi videor indignabundas nonnullorum voces et exclamationes, qui aegre ferunt loci nervose ac breviter dicti spatiosam et paene infinitam explicationem; aliorum velut praesentes specto tristes et austeros vultus, quos officii vel muneris sui ratio de tam gravi, sed parum iucunda materia, non sinit omnino ignorare etiam crassum volumen; ac denique apud alios vel subactioris ingenii homines vereor, ne ipse libelli conspectus mihi contrahat aut ver-

bositatis cuiusdam, aut diligentiae male sedulae et aliena quaevis promiscue coacervantis molestam suspicionem. At vero est, si cuiuspiam, profecto huius loci ea natura, ut quae fortasse minus in aliis necessariae sint, in hoc summam laudem mereantur, studii assiduitas, quaerendi diligentia, dicendi copia. Hic enim ab antiquo tempore tam variae fuerunt opiniones, tamque graves earum cum de singulis verbis, tum de universa sententia diversitates, ut viri docti eas omnes in commentariis suis, de toto libro Iobi conscriptis, complecti et singulatim diiudicare non possent, nisi ad immensam eos adaugere vellent amplitudinem. Quippe non communes solum hic locus cum multis aliis in Vetere Testamento difficultates quasdam habet, sed etiam nonnullae ei sic sunt propriae ac paene singulares, ut tanquam a turba observationum, in diversissimas partes explicatarum, stipatum se et obrutum vi-

deat interpres, nec tutum aliquem locum vel fundamentum solidum habeat, unde egressus certo possit pede in materiam suam intrare. Hinc factum est, ut quae nonnullis fortasse abs re nostra remotiora, aut per ipsam aetatem antiquata videbuntur, diligenter in hoc libello a nobis retractata sint; ne, ut nunc passim fit, magis cum despicientia et superbo silentio relictae, quam argumentis et rationibus doctorum virorum sententiae reprobatae viderentur. Hac enim una via etiamsi nobis ipsis non contigerit invenire, praeparare certe putabamus veram et certam huius aeque difficilis ac celebrati dicti interpretationem. In qua tractanda accidit infausta mihi aliqua fortuna, ut nec raro nec paucis eorum virorum, qui summi in his litteris sunt, et ex quibus aliquot magistros meos colo cum summa pietate, obloquerer, quod ne male eos habeat, rationes nunquam omissae et animus meus, post-

quam meliora edoctus fuero, ad cedendum paratissimus, opto ut efficiant. — Tu autem, Lector, si quando taedium sentis inter legendam de tam sterili materia amplam commentationem: memento auctoris, qui quod Tu oculis leviter percurris, mente et manibus ex multitudine vetustorum librorum et commentatorum, saepius verborum quam sententiarum prodigorum, haud sine sudore patienter collegerit!

Scribebam Ienae d. 25. Iunii 1832.

I. G. Stickel.

וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי	*Aber ich weiss, dass mein Erlöser lebet;*
וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם׃	*und er wird mich hernach aus der Erde auferwecken;*
וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ־זֹאת	*und werde darnach mit dieser meiner Haut umgeben werden,*
וּמִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ׃	*und werde in meinem Fleisch Gott sehen.*
אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי	*Denselben werde ich mir sehen,*
וְעֵינַי רָאוּ וְלֹא־זָר	*und meine Augen werden ihn schauen, und kein Fremder.*
כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֵקִי׃	*Meine Nieren sind verzehret in meinem Schooss.*
Iob. 19, 25—27.	LUTHER.

Quamquam duae recenti memoria in vulgus editae sunt de nobili hoc ac difficili loco commentationes, doctrina pariter ac claris auctorum suorum nominibus dignae; eae tamen consilio scribentium modo ad singulas quasdam huius dicti interpretationes aut enarrandas aut confutandas destinatae, largam posteris novarum quaestionum ac repetitae tractationis materiam reliquerunt. HENKIUS enim, alter eorum, quorum huc pertinent scripta, se non tam retractare quaestionem toties agitatam, nec sua sententia confirmare aliquam eius explicationem aut refellere voluisse, quam, ut specimen ederet antiquae S. S. interpretandi rationis, collegisse ve-

terum doctorum ex ipsis fontibus de hoc loco sententias, et diserte in libro suo professus est, et ipsa eius inscriptione significavit *). Qua re egregium quidem interpretibus paratum esse adminiculum, omnes grato animo, maxime vero ii agnoscent, qui experientia videbant, quantum apud plerosque ad commendandam alicuius dicti expositionem valeret antiquitatis auctoritas: sed ab iisdem non negabitur quoque, rectius illis HENKII studiis praeparatam et adiutam, quam absolutam perfectamque dici felicem ac certam loci, de quo quaeritur, explicationem. KOSEGARTENIUS autem, cuius altera illa commentatio est **), imprimis id habuit consilii, ut aliorum minus respiciens interpretationes, sua proposita doceret, quo iure vulgo Iobi illo effato dogma resurrectionis defenderetur. Quod exspectandum de eo fuit, factum est: nimirum suum exsecutus sic est vir doctus, magister pie mihi colendus, propositum, ut commode ad rem suam pleraque, acute dissereret non pauca. At quum nollet, quod hic quidem vix potest praetermitti, ceterorum explicationibus, quae cum quadam verisimilitudinis specie in medium prolatae fuerant, examinatis et cum iudicio reprobatis, suae interpretationi, qua verba textus per se spectata ad resurrectionem corporum, ratione autem nexus libri ad bonorum in hac vita instaurationem referenda essent, maius addere robur, eamque sic commendare ac quasi prae-

---

*) *Narratio critica de interpretatione loci Job. XIX. 25—27. in antiqua ecclesia*, auct. H. PH. CONR. HENKE. Helmst. 1783.

**) *Commentatio exegetico-critica in loc. nobiliss. eundem. vexatiss. Job. XIX*, 25—27 auct. H. G. L. KOSEGARTEN. Gryph. 1815.

munire argumentis, ut novis dubitationibus locus non restaret: factum est, ut qui commentarios in Iobum recentissima aetate conscriberent, ROSENMÜLLERUS et UMBREITIUS, non solum a KOSEGARTENII sententia deflecterent, sed in partes etiam prorsus inter se contrarias abirent, et ut etiam nunc nonnullis videretur illa quaestio aeque dubia et anceps, ut CHRYSOSTOMI temporibus, pendere. Sic autem negligi magistri sui commode monita, aegre fert discipulus; quapropter consideratione eiusdem loci iterata, et ut nostra tempora postulant ad singula quaeque circumspiciente studemus, quatenus id veritas permittit, satisfacere pietati *).

Atque quod videmus a magistris mathematicis fieri, ut cum iis, quos elementa sua doceant, de quibusdam principiis, ad demonstrandam thesium suarum veritatem necessariis, conveniant: id simili modo in nostram rem cadit, in qua aliquae sunt velut fundamentales sententiae, ab interpretibus tantum non omnibus, sed aliter ab aliis in usum vocatae, de quibus si certum fuerit legentibus iudicium, et faciliores eorum habebis argumentis tuis aures animosque, nec parum ad inveniendam aut confirmandam textus veram explicationem proficies. Quae quum ita sint, nos quidem non veremur, ne incommode bipartitam fecisse

---

*) Praeter illas, quas appellavimus, etiam aliae in nostrum locum commentationes editae sunt, quarum alias infra citatas vides, aliis, ut PAREAU *Commentat. de immortalitat. notitiis*, HALLENBERG *Disquisitio, qualis sit dogmatis de resurrectione corporum mortuorum origo, et num in libro Jobi ejusdem mentio facta sit?* et *Observatt. miscellan. in libr. Job. c. examine oraculi celebratissimi de Goële* (auctore BOULLIER) Amstelod. 1758, quod mihi utendi copia non fuit, gratum foret, si ego solus dolerem.

disputationem nostram putemur; quum et succincta variarum interpretationum historia, quaeque de resurrectionis in Iobo notione ac de toto fine libri exponenda viderentur, primum praeriperent locum ac singularem partem constituerent, una autem cum iis textus explicatio, quae secundam partem efficit, non facile posset tractari.

§. 1.

Illius autem generis narratio, qualem a nobis primo loco exhibendam modo diximus, ut omnino utilis videtur, ubi fuerint per diuturnius tempus sententiarum de aliquo dicto divortia, ita hac in re prorsus necessaria est. Namque hinc quid illud potissimum sit, de quo dissensus agatur, cognoscitur; hinc certi loci monstrantur, e quibus permixtam multitudinem sententiarum diversissimarum dispescere in classes atque in ordines redigere possis; hinc denique quo tempore, quibus rationibus, qua sit auctoritate factum, intelligitur, ut ceteris unus antehabitus sit interpretandi modus, qui et aequalium assensum ferret, et tanquam captos teneret etiam remotissimorum posterorum animos. Neque ad id opus est, explicationes ad unam omnes, vel leviter in construendis et exponendis vocibus formulisque dicendi inter se diversas, singulatim hic enumerare, sed potiores commemoravisse sat est, quae sensum dicti nostri suo modo constituerent, ducesque suis aetatibus principales existerent, sequacem aequalium interpretum gregem secum trahentes. Unde simul hoc apparet, differre nostram ab ejusdem rei descriptione, quam instituit Henkius, qui quas primis nos lineis adumbrabimus, usque ad unguem uno loco comprehensas expressit sententias, contra vel prorsus omisit, vel leviter attigit, quae a

nobis exposita sunt copiose. Ceterum nobis ea, quae ad singulorum verborum vim ac potestatem diverse constitutam pertinerent, visa sunt posteriori commentationis parti reservanda, et praeter has etiam aliae fuerunt, ipsa materia oblatae, ab illo recedendi causae.

Omnis autem disceptatio, ut quaestionis summam statim ejus initio indicemus, ab antiquo tempore de eo fuit, quale cogitaverit Iobus redemtionis suae et faustioris fortunae genus, et quando eventuram sibi auspicatiorem istam rerum suarum permutationem speraverit. Inventi scilicet sunt omni aetate ac paene continua serie et graves et eruditi ecclesiae christianae doctores, qui nullum totius codicis sacri locum hoc aptiorem putarent ad demonstrandam doctrinam de resurrectione carnis; quia hoc oraculo et *res ipsa*, futura hominum, leges mortalitatis expertorum, ad vitam restitutio affirmaretur certissime, et *modus rei* disertissime describeretur, nempe sic futurae, ut pristinum animae domicilium, idem corpus, post mortem restitueretur, et *auctor* denique tanti operis, redemtor generis humani clarissime significaretur. Alii contra horum omnium ne vestigium quidem in isto dicto agnoverunt, quod innocentiae, fortitudinis ac spei firmissimae vocem habebant, ab homine editam, qui de sublimiori hanc vitam secutura felicitate, cujus scientia caruisset, cogitare non potuerit, sed qui hoc unice speraverit, suam a Deo actum iri causam adversus criminationum et fortunae iniquitatem, seque olim ex humilitate emersum, ad pristinam valetudinem bonam ac florentem rerum suarum statum esse rediturum. Utra harum probabilior sit sententia, quamquam *omnium*, qui verum amant, et maxime eorum interest cognos-

cere, qui theologiam dogmaticam tractant, utpote ex qua alii abesse iubeant illud Iobi effatum in dogmate de hominum resurrectione, quod ad eiusdem dicta quae vocant classica referant alii: tamen eo difficilius est certo exploratu, quo prudentius utrimque argumentis argumenta opponuntur, quoque magis, ut opinantur utrique, suae rei inservit antiquitatis exemplum atque auctoritas. Nimirum veteris aetatis, quum viva hominum aures personaret lingua hebraea, aut eorum, quibus fuerat vernaculus sermo, adhuc recens esset memoria, propositaeque ab iis difficiliorum locorum explicationes vulgo traderentur, eius igitur voces ac testimonia, magni momenti et imprimis audienda esse, diversissimi in ceteris viri docti unanimi consensu ac merito arbitrati sunt.

§. 2.

Nec vero ullum vel antiquius vel gravius dici potest huius rei documentum, quam *S.S. versiones*, in antiqua ecclesia receptae, quae quo sensu acceperint Iobi effatum eo minus silentio debet praetermitti, quo plures ecclesiasticorum scriptorum sententiae inde pendebant. Primum inter has locum occupat *Alexandrina versio*, composita illa quidem ad textum originalem, ab eo tamen hic loci tam longe ac miro modo discrepans, ut acutissimorum hominum ingeniis eius explanatio multiplici exercitationi esset. Attamen etiamnunc nonnulla restant observatione digna, cum de primitiva graeci textus indole ac sensu, tum de hebraicorum et graecorum verborum mutua inter se ratione. Est autem LXX interpretum, ut vulgo legitur, haec versio: (v. 25) Οἶδα γὰρ ὅτι ἀένναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων, ἐπὶ γῆς (v. 26) ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ

ἀναντλοῦν ταῦτα· παρὰ γὰρ Κυρίου ταῦτά μοι συνετελέσθη, (v. 27) ἃ ἐγὼ ἐμαυτῷ συνεπίσταμαι, ἃ ὁ ὀφθαλμός μου ἑώρακε, καὶ οὐκ ἄλλος, πάντα δέ μοι συντετέλεσται ἐν κόλπῳ. Hanc versionem quum etiam subitaria perlustratio ostenderet tantopere ab eo textu hebraico, quem nos nunc legimus, differre, ut ne maxima quidem alicuius interpretis vel negligentia vel socordia excusari posset, adacti sunt haud pauci, si qua occurreret in copulandis et construendis vocibus a textu originali diversitas, eius ut causam in variante aliqua hebraica lectione quaererent, quam coniecturis et emendationibus sine fine ac modo assequi praepropere studerent. Pari periculo ne nos quoque genio nostro nimium indulgeremus, hanc nobis ponendam putavimus legem, ut, ubi cum textu originali interpretationis sensum universum convenientem, nec nisi verba paulo aliter conformata aut cum ceteris suo modo copulata videremus, haec ut leviora licentiae interpretis concedentes, de mutando textu nihil cogitaremus; sin vero conciliari utriusque sententiae ad unam aliquam nullo pacto possent, tum demum vellemus locum concedere coniecturis. Sed veniamus ad rem.

Legenti mihi graeca ista prioris commatis verba, saepius admodum mirum videbatur, ex iis, quorum haud pauci in illum locum inquirerent, viris doctis neminem advertisse, sic ut nunc scriptum sit, vitiosam esse lectionem, nec grammaticis regulis accommodatam. Pro iis enim infinitivus ἀναστῆσαι, cui regimen deest, ferri nequit, quem aut in tempus finitum mutare, aut particula aliqua καὶ vel τὲ cum antecedentibus vocabulis copulare necesse est, ut pariter atque infinitivus ἐκλύειν pendeat a participio μέλλων. Itaque prudentiorem quam nostrorum plerique ille se praestitit nescio quis anti-

quitatis homo, qui quod in codice Alexandrino exstat scripsit: ἀναστήσει δέ μου τὸ σῶμα. Hanc lectionem inventi sunt nonnulli, et inter hos HENKIUS, qui maxime propter facilitatem haberent genuinam. Nobis secus videtur. Nam quum certum sit, solere sanae mentis neminem, in clarorum, si legantur, verborum locum substituere minus perspicua et ab originali textu remotiora, ipsa illa, quae commendationi esse putatur facilitas, nobis potius spuriae et emendatae scriptionis indicium est. Tum omnino in hoc commate codici Alexandrino, quia in ceteris vocibus non vacat mendis, virtute et auctoritate praestat codex Vaticanus, ex quo est vulgaris lectio expressa. In illo enim, testibus BOSIO in editione LXX. interpretum et HENKIO l. c. quod legitur μου τὸ σῶμα pro vulgari τὸ δέρμα μου, etiamsi nolim ista admodum incerta ratione reprobare, quod minus sit accommodatae ad hebraicam vocem עוֹרִי significationis, tamen proscribendum duco, et quod עוֹר per σῶμα ne in uno quidem V. T. loco, in omnibus autem, si excipias duos, in quibus per χρώς vertitur, redditum est per δέρμα, et quod in veteris Latinae versionis exemplaribus praeter unum Ambrosii omnibus exstat *cutis*, *pellis*, *corium*. Tali igitur modo cadit hic in Alexandrinum codicem suspicio depravationis, quae deinde augetur etiam eo, quod qui vellet lectionem primitivam et nunc vulgarem, sed omissa particula καὶ paulo tum obscuratam, corrigere secundum textum hebraeum, vix hunc (יָקוּם) potuit vel commodius vel accuratius exprimere, quam dum perscripsit ea, quae se quasi ultro offerebant, ἀναστήσει δέ. Alterius autem lectionis, si pro suppositicia haberetur, origo, qua possit aeque probabili ratione explicari, equidem non video. Sed ut denique dicamus quod

summum est et verum aperte demonstrat, paravit et grave et laetum nobis in hoc loco praesidium homo inter veteres criticos facile princeps, ORIGENES *) in Matth. XII. p. 487. ed. HUET., ubi citat, quod vel HOLMESIUM *V. T. graec. c. var. lectt.*, non ita HENKIUM l. c. effugit, comniatis nostri verba ex LXX. in hunc modum: ὅτι ἀένναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα. En, quam bene sic omnis fluat oratio, quoque gravi auctore cum tota lectio vulgaris defendatur, tum etiam in textum restituatur ista, quae abesse nequit, particula copulativa. Reperiuntur quidem etiam in reliquis verbis graecis aliquae lectiones variantes, nec tamen ullius ad sensum loci nostri constituendum momenti. Mittamus igitur quae commemoratione parum digna sunt, potius ad id pergentes, quod summo studio investigari oportet, priusquam possit vel de sensu vel de usu LXX versionis iudicari, ut exponamus, qualis sit interpretationis graecae ad hebraeum textum ratio, quas illa in hoc mutationes supponat, et unde utriusque tam mira differentia videatur ducenda. Cuius ut intelligatur origo, iuvat ad id attendere, quod particula וְאַחַר initio versus 26. expressa omnino non est, neque in vulgari textu graeco, neque in variante quadam lectione, nec denique in alia versione, ex Alexandrina orta, ut suspicio non absit, eam in codice, quo usus sit interpres, omnino non lectam esse, praesertim quum non pauca hic loci aliorum quoque mutilorum verborum indicia sint. Carere autem videbantur, oblitterata

---

*) Is autem ipse de se scribit in *Epist. ad African.* p. 226. (vid. EICHH. *Einl.* To. I. p. 486.), se multum operae Iobi versioni Alexandr. impendisse.

particula ista וְאַחַר, reliqua verba עוֹרִי נִקְּפוּ זֹאת sensu aliquo, quem iis ita attribuit interpres, ut commatis antecedentis verbum ultimum יָקוּם, tum minime, ut nunc fit, accentu a voce עוֹרִי separatum, cum hac in illum sensum coniungeret: ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου. In quibus recessit quidem per licentiam, LXX interpretibus non inauditam, ab originali textu cum in eo, quod noluit tempore finito uti, sententiam sequentem antecedenti regimini (μέλλων) per infinitivum annectens, tum quod cutis sublationem (ἀνάστασιν τοῦ δέρματος) non ab ipsa cute, ut textus quem legebat, repetiit, sed ad גֹּאֲלִי tanquam auctorem retulit; quo tamen circa noli cum Henkio coniicere, הקים in textu interpretis exstitisse, pluribus istud nominibus reprehendendum. Deinde effectum etiam hoc est verbo יָקוּם versui 25. subtracto, hic ut non amplius duo membra, quae nobis in textu hebraeo leguntur, sed unum modo stichum, ut aiunt, constitueret, laesaque sua integritate, sensum quoque suum leviter commutaret. — De mutua in hoc commate graecorum et hebraicorum verborum ratione dubitaverunt viri docti; namque Henkius hebraicum אַחֲרוֹן graece μέλλων redditum esse, Trommius *Concord. graec.* contra per ὁ ἐκλύειν με μέλλων גֹּאֲלִי circumscriptum et חַי per ἀέναος versum putavit (vid. *Concord.* s. h. v.), ita ut אַחֲרוֹן in graeco textu expressum omnino non esset. Neutrum recte; non enim usquam per totam versionem Alexandrinam חַי graece ἀέναος redditum invenitur. Imo potius statuendum videtur, חַי וְאַחֲרוֹן *vivum et futurum* coniuncta esse ab interprete in unam notionem *aeterni* (ἀέναος), ordineque verborum, ut in textu originali leguntur, prudenter mutato, ὁ ἐκλύειν με μέλλων, quod גֹּאֲלִי exprimit, postpositum esse isti ἀέναος ea de

causa, ut clarius appareret, eum, qui verteret, non cepisse locum de redemtore super terra in omnem aeternitatem exstituro, sed de aeterno Deo, redemtionem in hac terra i. e. terrestri vita effecturo. Sic igitur haud ambigue sui animi sententiam interpres aperiebat, nimirum eam, qua Iobus liberationem ab iis malis, quae nunc cutis sua exantlet, sibi vivo futuram exspectavisset, resurrectionis autem aliqua spes, eum neutiquam subiisset. — In sequenti commate (v. 26) prae ceteris magnam difficultatem pariunt verba τὸ ἀναντλοῦν *) ταῦτα, quae quo pacto exprimere possint hebraica נִקְּפוּ זאת tam difficile est explicatu, ut Henkius fas esse diceret, cum doctissimis interpretibus hoc ignorare, ac ne coniiciendo quidem verisimile quidquam proponere vellet. Tentavimus etiam nos varia, si qua posset probabilis conciliatio eorum fieri, quae tam longe a se distent; sed omnia frustra. Namque nec litterarum figurae similes ideoque facile commutabiles reperiuntur sive in quadrata, quae dicitur, sive in prisca nummorum scriptura, unde aliqua lux his tenebris obfundatur, neque in radice נקף significationem, voci ἀναντλοῦν cognatam invenire contigit, nec denique per vocalium mutationem quidquam proficitur. Primum quidem rati sumus, versionem

*) Schleusnerus *Opuscul. crit. ad verss. graec. V. T.* p. 157 mutaverat vulgare ἀναντλοῦν in ἀνατλῶν, confirmante id e codicis Ambrosiano-Mediolanensis versione syriaca ܡܫܡܠܝܢ; Middeldorpfio *Cur. Hexapl.* in Iob. p. 54. Sed habet graeca vox ἀντλέω et ἀναντλέω praeter hauriendi etiam exantlandi sive perferendi significationem, ut ea ipsa lectio posset ad sensum apte reddi ܡܫܡܠܝܢ, quod accuratius ad verbum in margine ejusdem codicis exprimebatur ܝܠܢ.

LXX. e textu hebraico ita derivari posse, ut statuatur, interpretem graecum mutatis vocalibus legisse נִקְּפוּ sensu cognatae vocis נֶגֶף cuius (sc. cutis) *plaga hoc est*, idque sensu passivo acceptum ab eo, et paulo liberius redditum esse τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα; sed mox diligenti quum cognovissemus quaestione, nusquam per totam versionem Alexandrinam significationes radicum cum ג tributas esse radicibus cum ק, etiam haec ut parum commoda mittenda esse intelleximus. His simile quoddam, sed non magis probandum, proposuit Ilgen (*Iobi antiquissimi carminis hebraici natura atque virtutes.* p. 167), dum נִקְּפוּ pro substantivo ad formam עַקְשׁוּת ab Alexandrino interprete et Syro acceptum statuebat. Nihil igitur amplius restat, quam ut putemus, in codice, quo usus sit interpres, lectionem depravatam, certe partem vocis נִקְּפוּ oblitteratam fuisse, quae restitui non nisi coniiciendo poterat. Ac si quid certius oportet in re tam incerta proponere, non abs re est putare, e coniectura interpretem legisse נָשָׂא, tum quod praeter hanc alia non est hebraica vox, quam LXX. verbo ἀντλεῖν reddiderint (Proverb. 9, 12.), tum quod incipit haec ab eadem littera נ, ut נִקְּפוּ, in exemplari interpretis fortasse non prorsus abolita*).

*) Haec scripta erant, quum subiret animum novum lectionem textus defendendi conamen, adspirantibus hoc versione syriaca et arabica *Saadiae*. In utraque וְזֹאת ut subiectum verbi plur. נִקְּפוּ accipitur: *haec circumdant* in sensu passivo: *his* (sc. miseriis, doloribus) *coarctatur, premitur, laceratur cutis*, quod coniunctum inserto pronomine relativo cum עוֹרִי, paulo liberius sed convenienter ad sensum reddi potuisse τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα vix infitiabimur. Eligat igitur alterutrum ut quisque aut textus tuendi studiosior, aut ad coniecturas proclivior est.

— Quae statim sequuntur *παρὰ γὰρ Κυρίου ταῦτά μοι συνετελέσθη* quamquam vix vocula videntur convenire cum hebraicis וּמִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ, ex iis tamen per litterarum aliquas commutationes nullo negotio sic elicinntur, ut in מִבְּשָׂרִי statuas ב oblitteratum vel omissum, ר cum ד commutatum propter similitudinem, et אֱלוֹהַּ eliso fulcro litterae ו esse אֵלֶּה enunciatum. Verbum autem אֶחֱזֶה, ex Henkii sententia immutandum in חסלו — melius scripsisset נכרתו — nihil opus est suo loco movere, quum graeca vox *συνετελέσθη* hic minime habeat, ut ille ratus est, conficiendi et consumendi, sed ut paulo post peragendi et conferendi notionem, teste etiam veteri latina versione: „*a domino enim mihi haec contigerunt.*“ Itaque nihil aliud hic ab interprete factum est, quam ut ea, quae secundum lectionem hebraeam, ab ipso cooptatam, proprie sonarent: „ab Omnipotente equidem haec (mala) video“ (sc. mihi immissa), solum in verbis, non in ipsa re diversus, suo modo redderet aliquanto liberius. Deinde vero variante ista lectione hebraica effectum simul hoc est, ut אֲשֶׁר, quod sequeretur, non ad Deum, sed ad proxime praecedens אֵלֶּה referretur, et *ἃ* bis positum vexationes ac dolores, divinitus Iobo immissos, significaret, quorum se satis conscium sibi esse, fere eodem modo affirmat ac factum videmus in Proverb. 14, 10. לֵב יוֹדֵעַ מָרַּת נַפְשׁוֹ וּבְשִׂמְחָתוֹ לֹא יִתְעָרַב זָר, nisi quis malit *ἃ* ad futuram redemtionem referre, de qua ipsi certissime, non item aliis persuasum sit. Denique postrema verba *πάντα δέ μοι συντετέλεσται ἐν κόλπῳ* ita habent, ut verisimillimum sit, interpretem mutata una littera et verbi unius distinctione legisse כָּלוּ כֹּל אִתִּי בְּחֵקִי. His ita disputatis, ut sub finem et clarius et certius cognoscatur, quid nobis hucusque

effecisse videamur, iuvat et graecum textum, quem genuinum putamus, et hebraeum, quem ille exprimit, ex adverso positum hic coniunctim repraesentare.

Οἶδα γὰρ ὅτι ἀένναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ τῆς *) γῆς, καὶ ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα· παρὰ γὰρ κυρίου ταῦτά μοι συνετελέσθη, ἅ ἐγὼ ἐμαυτῷ συνεπίσταμαι, ἃ ὁ ὀφθαλμός μου ἑώρακε, καὶ οὐκ ἄλλος, πάντα δέ μοι συντετέλεσται ἐν κόλπῳ.

וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי
וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר׃
־יָקוּם עוֹרִי (נִשָּׂא) בְּקִפּוּ זֹאת
וּמִשַּׁדַּי אֶחֱזֶה אֱלֹהַּ׃
אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי
וְעֵינַי רָאוּ וְלֹא־זָר
כָּלוּ כֹל אִתִּי בְּחֵקִי׃

Restat exponere id, quod Henkius parum definite, sed in quo summa hujus disputationis cernitur, nimirum in quem ista sit sensum interpretanda versio. Scilicet hoc obscurum quidem, tamen vix credibile esse, ille vir doctus existimavit, auctores versionis Iobum de resurrectione carnis loquentem accepisse. In qua incerta opinione acquiescere non sufficiebat, quum quae obscura essent, potius luce collustrare, quidque credibile evincere debuisset rationibus, quarum et iustae et graves non deessent. Ac primum quidem non praetermittendum erat, verbum ἀναστῆσαι, quod praecipue faceret, ut de resurrectione carnis locus explicaretur, per se non nisi suscitandi et erigendi notionem habere, idque, nisi e contextu pateat, de aliquo mortuo

*) Articulus τῆς legitur etiam, ut Holmes. annotavit, in duobus codd., qui partic. καὶ non habent, ut non possit ex Origine adjectus putari.

cogitandum esse, de excitatione mortuorum accipi non posse. At nostro loco nemo non videt, mortui Iobi mentionem omnino nullam fieri, sed solam excitationem patientis suae cutis exspectari; quare causa ipsa loci de resurrectione interpretandi sublata videtur. Tum vero si qui nihilo secius persistunt in opinione ista, videant, ne quid inepti Alexandrino interpreti obtrudant. Nusquam videlicet in LXX versione δέρμα, quod genuinum esse supra demonstravimus, quum dicatur pro corpore toto, sed ubicunque exstet, propriam ac nativam notionem corii, cutis retineat, hanc solam (nemo quippe cutem pro tota sua persona appellaret), fortasse etiam misere ut nunc vexatam et dilaceratam (τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα), persuasum sibi haberet Iobus, suscitatum iri super terram; quod profecto non magis fuisset optabile, quam mirabile est atque ineptum cogitatu. Denique docet etiam scholion pervetustum, ab Holmesio l. c. To. III. in append. ad Iob. allatum, ortumque, ut videtur, eo tempore, quum iam coepissent in perversum sensum interpretari graecam versionem, quae sit vera eius sententia; id quidem sic habet: ὁ ἐκλύειν με μέλλων τῆς πληγῆς, τοῦτ᾽ ἔστιν ὁ ἰασάμενος. — Quae cum ita sint, digito quasi monstratur, versionem graecam spem exprimere Iobi, fore ut cutis sua ex illuvie ac languore, sub quo aegrotans veluti procumberet, per aeterni sui vindicis potentiam sibi in hac vita superstiti suscitetur et erigatur ad pristinum colorem vegetum, nitorem, alacritatem.

Hinc patebit, quod non mediocri praesidio est interpreti, Iudaeis Alexandrinis minime esse ejusmodi interpretationem verborum hebraeorum ex antiquitate traditam, qua dogma de carnis resurrectione, ceterum haud incognitum Iudaeis, in hoc

loco contineretur, ac bene eos egisse patres graecae ecclesiae, quorum non pauci erant, qui ab usu hujus dicti in isto dogmate abstinerent, eos vero, qui ad id comprobandum Iobi verba adhiberent, hoc non fecisse auctoritate antiquioris aevi, sed sua opinione permotos. Attamen etiam hoc diffitendum non est, versionem Alexandrinam facili negotio per levem aliquam mutationem in istam sententiam trahi potuisse; namque quum legantur in ea verba ἀναστῆσαι et ἐπὶ τῆς γῆς, jam habes, si iis addatur vox σῶμα sive σάρξ, substituta in locum τοῦ δέρματος, notiones ad dogma de carnis resurrectione significandum opportunas, quod vere his verbis doceri, ad contextum loci non accurate advertenti animum non est admodum difficile persuasu.

Ex ceteris versionibus graecis solum Theodotionis fragmentum aetatem tulit, servatum a Chrysostomo (vid. Nicetae Caten. in Iob. p. 340), qui ὁ μέντοι Θεοδοτίων, ait, ἐκδοὺς, ὁ ἀγχιστεύς μου ζῇ καὶ ἔσχατον ἐπὶ χώματος ἀναστήσει, πείθει συνάπτειν τοὺς δύο στίχους κτλ. Dolendum quidem est, quod in his paucis sese continebat disertissimus alias pater ecclesiae, cum nunc, ut Nobilius (Vet. Testam. secund. LXX. ex auctorit. Sixt. V. To. I. p. 980) probe sensit, Theodotionis sententia relicta sit incerta: attamen id hinc patet, interpretem illum, religiosissimum in ceteris Alexandrinae versionis imitatorem, cum mutaret non pauca, hic eam nimis liberam censuisse, simulque comprobari, quod nos supra indicavimus, ad intelligendam Alexandrinae versionis originem versui 25 detracta aliquot verba hebraica conjungenda esse cum versu sequenti. Vix enim aliud quidpiam significent allati dicti verba postrema. Sed haec hactenus.

§. 3.

Convertimus nos ad *chaldaicam paraphrasin*, eximiam illam ac fere unam veri sensus interpretem, de qua plerique caecitate admodum mirabili silentium agunt viri docti, nec nisi paucorum incertae voces percipiuntur. Ea autem haec est:

v. 25. וַאֲנָא יְדַעִית דְּפָרִיקִי קַיָּם וּמִן בָּתַר כְּדֵין פּוּרְקָנֵיהּ
v. 26. עַל עַפְרָא יְקוּם׃ וּמִן בָּתַר דְּאִתְּפַח מַשְׁכִּי תְּהֵי דָא
v. 27. וּמִבִּסְרִי אֶחֱמֵי תּוּב אֱלָהָא׃ דִּי אֲנָא אֶחֱמֵי לִי וְעַיְנַי
יֶחֶמוּן וְלָא חִילוֹנַי שְׁלִימוּ כָּלְיָתַי בְּעוּבִּי׃

Equidem scio, redemtorem meum aeternum esse et posthac redemtionem suam super pulverem staturam; et postquam intumuit cutis mea, fiet hoc; et ex carne mea videbo iterum Deum, quem equidem videbo mihi, et oculi mei videbunt neque alienus (alienum); consumuntur renes mei in sinu meo.

Iniicit quidem Schultensius, vir ut pauci doctus, mentionem (*Liber Iobi c. commentar.* Lugd. Bat. 1737. p. 483) huius versionis, ab ipso Rosenmuellero (*Schol.* ad h. l.) prorsus omissae, eam vero ita conceptam dicit, ut nescias, ultimamne resurrectionem intenderit auctor, an figuratam illam, quae Iobi vitam fortunasque renovaret: contra ex Coccei (*Commentar. in libr. Iob.* ad h. l.) sententia, ad quam declinavit etiam Kosegartenius, haec interpretatio, „si simpliciter, proprie et sine contorsione accipiatur“ spectat ad mortuorum resurrectionem. Sic igitur hic etiam, ut in omni nostra re, anceps pendet quaestio, cuius diiudicatio vitulo digna. In qua disceptanda cum ad singularum quarundam vocum phrasiumque valorem ac potestatem, tum ad alias nonnullas notiones paraphra-

stae respiciendum est, ea tamen adhibita cautione, ut quae inserviant dilucidandis notionibus dubiis e sola libri Iobi paraphrasi repetantur, neve diversorum auctorum ac temporum contrariae sibi notiones componantur aut misceantur. Ac quod ad versum 25. attinet, in eo pari ambiguitate et tanta fide expressit Chaldaeus singulas voces hebraeas, ut in quem sensum Iobi dictum acceperit, hinc indicari nequeat. Ab hoc uno sibi non temperabat explicandae sententiae studiosissimus interpres, quod in posteriori commatis huius parte satis quidem apte ad sensum, sed praeter textum inseruit פּוּרְקָנֵיהּ, accuratius id significaturus, quod Deo propositum esset super pulverem persequi. In hac autem nihil inest voce, quo ad resuscitationem e mortuis ducamur; dicitur enim פּוּרְקָן et פְּרִיק de eo, qui ex angustiis vitae Ps. 34, 7. aut ab hostium potestate Iob. 6, 23. liberatur, nec non de ipsa salute, a mortis divinitus immissae periculo et propinquitate recuperata, in loco ad rem nostram gravissimo Iob. 33, 26. וְחָס עֲלוֹי וַאֲמַר פְּרוֹק יָתֵיהּ מִלְּמֵחַת בְּשׁוּחְתָּא *parcet ei* (homini ad meliorem frugem redeunti) *et dicet; redime eum, ne descendat in foveam.* Sin vero dicat quispiam, inesse in tota formula ista: *Dei redemtio stabit super pulverem,*" quod uni voci פּוּרְקָן non insit, id vix aliter contendi possit, quam ut abstractum, ut aiunt, pro concreto positum putetur, et sub illo פּוּרְקָן Iobus a mortuis suscitatus superque terram restitutus intelligatur. At tropica eius generis enunciatio ab indole chaldaicae paraphraseos, nulla non quam maxime propriis verbis compellantis, prorsus abhorret; neque, etiamsi haec mittantur, iusta ratio est, de Iobo a mortuis revocato cogitandi, quum satis recte post recuperatam valetudinem bonam super pulverem restitutus

dici posset, qui dum morbo et miseriis laborabat, sibi ipsi visus fuerat in pulverem deiectus, ibique lamentans procubuerat. Iob. 7, 21. 16, 15. (cf. Umbreit. ad haec loc.) Unde apparebit, divina illa redemtione super pulverem statuenda ferme idem significari, quod interpres noster dixerat cap. 13, 16. הוּא לִי לְפוּרְקָנָא *ipse* (Deus) *est mihi saluti*, Iobum quippe exspectare auxilium ab aeterno Deo super terram futuro tempore afferendum. Quod quando sit eventurum, certius definitur vers. 26. וּמִן בָּתַר דְּאִתְּפַח מַשְׁכִּי תְּהֵי דָא; in quibus vox אִתְּפַח ambigui sensus est. Verbum enim פּוּח et cognatum תפח habet et flandi, inflandi, crepandi, tumescendi et respirandi sive convalescendi e morbo notiones, e quibus utra sit hoc loco adoptanda, disputari quidem potest, nec tamen magni refert ad summam rem, utrum hic resurrectio mortuorum doceatur, nec ne, decidendam. Etenim fac, quod fieri non posse infra docebimus, verbum nostrum notione recreandi e morbo accipiatur, tum dixisset Iobus, postquam cutis sua convaluisset, suam redemtionem פּוּרְקָן עַל עַפְרָא futuram. Sic igitur duo sibi fausta Iobus exspectasset, et sanitatis recuperationem et postea redemtionem sive salutem divinitus impertiendam. Iam vero talia si quis profert, qui, usus per anteactam aetatem rebus florentibus, nunc autem post eas deperditas, misere morbo vexatus iacet, num quis unquam mortalium putabit, eum, nisi disertis verbis iniiciat mortis mentionem, existimare, se nunc quidem propediem moriturum, sed post mortem cutem suam sanatam, seque a mortuis excitatum fore? Annon censebit potius quilibet, illum sperare, fore ut in hac vita superstes sanetur et ut in pristinam rerum suarum conditionem felicem restituatur? Nonne si quis in

eiusmodi dicto mortuorum resurrectionem doceri dicat, id potius est praeter auctoris voluntatem inferre verbis, quam ex iis proferre istam doctrinam? — Sed ut dicamus quod res est, omnino ea, quam hucusque statuebamus, admitti in isto loco non potest verbi פוח significatio. Quod etiamsi nolim idcirco pro certo exploratoque habere, quia rarior ea est, neque inter nomina huius radicis derivata ullum invenitur, ad corporis recreationem spectans, inveniuntur autem nonnulla e. c. נָפוּחַ, נֶפַח, תְּפִיחָה, tumorem ut certum corporis morbum significantia; tamen haec ipsa res etiamsi nihil amplius procliviores certe lectores facit, ut de aegrotante quam de convalescente cute Iobi malint cogitare. Gravius hoc est, quod recreandi notio prorsus aliena est ab eo, quod in textu hebraico legitur, verbo נקף, cui sensu suo accurate tumescendi, crepandi potestas respondet. Qua de causa de vera chaldaicae versionis sententia dubitare diutius non licet; id enim videtur pro certo affirmari posse, interpretem eum, quem videmus religiosissime cum alibi tum praesertim in hoc loco usque ad verbum singulas voces hebraicas earumque usitatas significationes exprimere, cum adhiberet verbum ancipitis quidem significationis, sed quarum altera textui hebraeo consentanea est, altera contraria, id non alio quam congruo cum originali textu eodemque vulgari sensu voluisse intellectum. Quae cum ita sint, in eum sensum apparet dictum Iobi ab interprete chaldaeo acceptum esse, ut vir pius exspectavisset redemtionem suam tum demum futuram, quum, absumta morbi violentia cute, res adacta in summum discrimen, malorumque gurges ab eo prorsus fuisset exhaustus. Simul vero etiam id ex ista versione chaldaica elucet, ad quod est summo studio atten-

dendum, secutum esse illum interpretem construendi hebraica verba eum modum, ut זאת separatam enunciationem, verba autem antecedentia וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ coniunctam phrasin constituerent, in qua tertia persona plur. נִקְּפוּ sensu passivo esset accepta. Quod quanta nos quum videremus laetitia affecerit, vix dicere possumus, quippe quibus, hunc unum esse verum hebraica verba accipiendi modum, aliis rationibus esset persuasum. — Postremum denique, quod prae ceteris grave in suam rem argumentum ducunt, repetunt ii, qui de resurrectione mortuorum Chaldaeum dicentem faciunt, e verbis אֶחֱמֵי תּוּב אֱלָהָא, *Deum iterum videbo*, in quibus praecipue particulam תּוּב alterius vitae indicem habent. Num iure quaeramus. Scilicet ex ista sententia spem Iobus fovisset, fore ut e mortuis suscitatus eodem corpore, quo adhuc usus fuerat, iterum indutus, oculis suis praesentem Deum ut praeterito tempore contemplaretur. At id quum nolint isti concedere in terrestri vita fieri posse, — si enim posset, nulla hic de altera vita cogitandi ratio appareret —; necessario hoc ante et post eam factum putabis. Qua re haec duo supponi patet, et animas hominum priusquam in hanc vitam migravissent in Deo contemplando occupatas, et idem repetituras esse, quando resurrexissent; horum autem utrumque eo magis fuisset argumentis comprobandum, quo minus cum ceteris chaldaici paraphrastae et omnino seriorum Iudaeorum de eadem re notionibus convenire videtur. Namque Iudaeorum seriori tempore constans opinio fuit (vid. Cramer *Doctrinae Iudaeor. de praeexistent. animar. adumbratio et histor.* Viteb. 1810. p. 16 ss.), animas creatas a Deo, aut ut Cabbalistae docebant, ex eo emanantes, antequam cum corporibus coniungerentur hu-

manis, in aëre sive promtuario aethereo, גוף appellato, versari, ubi iis Dei conspiciendi copiam fuisse, neque usquam docetur nec probabile est putare. Atque quod talem contemplationem Dei, quae hominibus e morte suscitatis contingeret, a mente chaldaici paraphrastae prorsus abhorruisse demonstrat, hoc est, quod suo arbitratu in vertendo cap. 26. vers. 9. praeter textum originalem, caligine Deum obtendisse solium suum, ne eum angeli viderent, adiecit; quod qui ipsis angelis negavit interpres, eum satis apparet hominibus neque ante vitam terrestrem nec post eam Dei adspectum proprie sic dictum concedere potuisse. Itaque et plura et graviora quam sensisse videntur, qui in istam sententiam irent, obstant, quominus formulam de repetita Dei visione proprie accipias causamque habeas, de resurrectione cogitandi: contra affatim in promtu sunt, quae eandem ad hanc vitam trahere permittant vel etiam suadeant. Formulam enim hebraeam חָזָה פְּנֵי אֱלֹהִים, cui chaldaica חֲמָא אֱלָהָא respondet, significare faustum habere numen ac propitium, et cognitum est et a de Wettio ad Ps. 11, 7. comprobatum: hanc vero phrasin chaldaicam sensu non differre ab hebraica ista, tum per se probabile est, tum ex loco supra laudato elucet, qui huic dicto commentarii instar est cap. 33, 26, ubi de homine a morte proxime instante liberato restitutoque dum vivebat in pristinam conditionem felicem, dicitur חֲמָא אַפּוֹי בִּרְעָוָא, *videt faciem eius* (Dei) *in benevolentia* s. *oblectatione*, quod satis patet nihil aliud, quam eum uti rebus florentibus, indicare. Deinde etiam id quodam modo adiuvabit definiendum locutionis nostrae sensum, quod et desperationem Iobi de recuperanda superiori fortuna simili ratione edisseruit Chaldaeus cap. 7, 7. לָא תְתוּב עֵינִי לְמֶחֱמֵי טָב,

non iterum oculus meus videbit bonum, et ipsam illam superiorem conditionem prosperam, nunc inter miserias cogitando repraesentatam, formulis propinquis descripsit; tum enim temporis a Deo custodiebatur Iobus, splendebat lucerna eius super capite suo, ad lumen divinum ambulabat inter tenebras, Deique arcanum super tabernaculo suo versabatur (i. e. revelationes divinae ei obtingebant) cap. 29, 1—4., ac si quando ad id redibit, attollet coram Deo faciem suam תְּזַקּוֹף קֳדָם אֱלָהָא אַפָּיךְ:, suamque semitam lumen collustrabit cap. 22, 26. 28. Haec igitur omnia luculenter commonstrant, chaldaicum paraphrastam, Iobi verba eum in sensum interpretatum esse, ut speret per Dei aliquem actum iudicialem, sibi soli propitium, qualis in fine libri describitur, fore ut in pristinum vitae suae felicioris statum restituatur; simul vero, particulam תוב, sine causa a Steucho Eugubino (vid. de Pined. *Comment. in Iob.* To. II. p. 100) in טב mutatam, rectissime ab auctore additam esse, neque aliud quidquam in hoc loco affirmari, quam ratum fore, quod passim vel Iobus ipse vel amici de sorte proborum hominum fuerant ominati 11, 15. 17.

§. 4.

Aliquanto citius defungemur, quae nos nunc excipiunt, versione *syriaca*, quam Peschito vocant, fidaque eius pedissequa *arabica*. Inter quas tantam videbis etiam in singulis vocibus convenientiam, ut si demas pauca ista, quae parenthesi inclusimus, iisdem utraque latine reddi posset verbis. Sint ut sua indole sic etiam loco suo hic coniunctae.

ܘܐܢܐ ܠܐ ܕܒܟܝܬ ܐܢܐ ܕܡܫܬܟܦ ܢܦܫ ܗܘ : ܘܡܣܟܢܐ ܟܠܐ ܐܘܚܕܐ V. 25.

ܕܢܐܠܐ : ܘܡܛܠ ܡܣܟܢܐ ܗܘ ܐܬܚܪܬ ܗܘܝܬ ܘܡܛܠ ܚܫܘܟ. V. 26.

eiusmodi dicto mortuorum resurrectionem doceri dicat, id potius est praeter auctoris voluntatem inferre verbis, quam ex iis proferre istam doctrinam? — Sed ut dicamus quod res est, omnino ea, quam hucusque statuebamus, admitti in isto loco non potest verbi פרח significatio. Quod etiamsi nolim idcirco pro certo exploratoque habere, quia rarior ea est, neque inter nomina huius radicis derivata ullum invenitur, ad corporis recreationem spectans, inveniuntur autem nonnulla e. c. תְּפִיחָה, נֶפַח, נָפוּחַ, tumorem ut certum corporis morbum significantia; tamen haec ipsa res etiamsi nihil amplius procliviores certe lectores facit, ut de aegrotante quam de convalescente cute Iobi malint cogitare. Gravius hoc est, quod recreandi notio prorsus aliena est ab eo, quod in textu hebraico legitur, verbo נקף, cui sensu suo accurate tumescendi, crepandi potestas respondet. Qua de causa de vera chaldaicae versionis sententia dubitare diutius non licet; id enim videtur pro certo affirmari posse, interpretem eum, quem videmus religiosissime cum alibi tum praesertim in hoc loco usque ad verbum singulas voces hebraicas earumque usitatas significationes exprimere, cum adhiberet verbum ancipitis quidem significationis, sed quarum altera textui hebraeo consentanea est, altera contraria, id non alio quam congruo cum originali textu eodemque vulgari sensu voluisse intellectum. Quae cum ita sint, in eum sensum apparet dictum Iobi ab interprete chaldaeo acceptum esse, ut vir pius exspectavisset redemtionem suam tum demum futuram, quum, absumta morbi violentia cute, res adacta in summum discrimen, malorumque gurges ab eo prorsus fuisset exhaustus. Simul vero etiam id ex ista versione chaldaica elucet, ad quod est summo studio atten-

dendum, secutum esse illum interpretem construendi hebraica verba eum modum, ut וזאת separatam enunciationem, verba autem antecedentia וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ coniunctam phrasin constituerent, in qua tertia persona plur. נִקְּפוּ sensu passivo esset accepta. Quod quanta nos quum videremus laetitia affecerit, vix dicere possumus, quippe quibus, hunc unum esse verum hebraica verba accipiendi modum, aliis rationibus esset persuasum. — Postremum denique, quod prae ceteris grave in suam rem argumentum ducunt, repetunt ii, qui de resurrectione mortuorum Chaldaeum dicentem faciunt, e verbis אֶחֱמֵי תּוּב אֱלָהָא, *Deum iterum videbo*, in quibus praecipue particulam תּוּב alterius vitae indicem habent. Num iure quaeramus. Scilicet ex ista sententia spem Iobus fovisset, fore ut e mortuis suscitatus eodem corpore, quo adhuc usus fuerat, iterum indutus, oculis suis praesentem Deum ut praeterito tempore contemplaretur. At id quum nolint isti concedere in terrestri vita fieri posse, — si enim posset, nulla hic de altera vita cogitandi ratio appareret —; necessario hoc ante et post eam factum putabis. Qua re haec duo supponi patet, et animas hominum priusquam in hanc vitam migravissent in Deo contemplando occupatas, et idem repetituras esse, quando resurrexissent; horum autem utrumque eo magis fuisset argumentis comprobandum, quo minus cum ceteris chaldaici paraphrastae et omnino seriorum Iudaeorum de eadem re notionibus convenire videtur. Namque Iudaeorum seriori tempore constans opinio fuit (vid. Cramer *Doctrinae Iudaeor. de praeexistent. animar. adumbratio et histor.* Viteb. 1810. p. 16 ss.), animas creatas a Deo, aut ut Cabbalistae docebant, ex eo emanantes, antequam cum corporibus coniungerentur hu-

manis, in aëre sive promtuario aethereo, גּוּף appellato, versari, ubi iis Dei conspiciendi copiam fuisse, neque usquam docetur nec probabile est putare. Atque quod talem contemplationem Dei, quae hominibus e morte suscitatis contingeret, a mente chaldaici paraphrastae prorsus abhorruisse demonstrat, hoc est, quod suo arbitratu in vertendo cap. 26. vers. 9. praeter textum originalem, caligine Deum obtendisse solium suum, ne eum angeli viderent, adiecit; quod qui ipsis angelis negavit interpres, eum satis apparet hominibus neque ante vitam terrestrem nec post eam Dei adspectum proprie sic dictum concedere potuisse. Itaque et plura et graviora quam sensisse videntur, qui in istam sententiam irent, obstant, quominus formulam de repetita Dei visione proprie accipias causamque habeas, de resurrectione cogitandi: contra affatim in promtu sunt, quae eandem ad hanc vitam trahere permittant vel etiam suadeant. Formulam enim hebraeam חָזָה פְּנֵי אֱלֹהִים, cui chaldaica חֲמָא אֱלָהָא respondet, significare faustum habere numen ac propitium, et cognitum est et a de Wettio ad Ps. 11, 7. comprobatum: hanc vero phrasin chaldaicam sensu non differre ab hebraica ista, tum per se probabile est, tum ex loco supra laudato elucet, qui huic dicto commentarii instar est cap. 33, 26, ubi de homine a morte proxime instante liberato restitutoque dum vivebat in pristinam conditionem felicem, dicitur חֲמָא אַפּוֹי בִּרְעוּתָא, *videt faciem eius* (Dei) *in benevolentia s. oblectatione*, quod satis patet nihil aliud, quam eum uti rebus florentibus, indicare. Deinde etiam id quodam modo adiuvabit definiendum locutionis nostrae sensum, quod et desperationem Iobi de recuperanda superiori fortuna simili ratione edisseruit Chaldaeus cap. 7, 7. לָא תְתוּב עֵינִי לְמֶחְמֵי טָב,

non iterum oculus meus videbit bonum, et ipsam illam superiorem conditionem prosperam, nunc inter miserias cogitando repraesentatam, formulis propinquis descripsit; tum enim temporis a Deo custodiebatur Iobus, splendebat lucerna eius super capite suo, ad lumen divinum ambulabat inter tenebras, Deique arcanum super tabernaculo suo versabatur (i. e. revelationes divinae ei obtingebant) cap. 29, 1—4., ac si quando ad id redibit, attollet coram Deo faciem suam תִּזְקוֹף קֳדָם אֱלָהָא אַפָּיךְ׃, suamque semitam lumen collustrabit cap. 22, 26. 28. Haec igitur omnia luculenter commonstrant, chaldaicum paraphrastam, Iobi verba eum in sensum interpretatum esse, ut speret per Dei aliquem actum iudicialem, sibi soli propitium, qualis in fine libri describitur, fore ut in pristinum vitae suae felicioris statum restituatur; simul vero, particulam תּוּב, sine causa a Steucho Eugubino (vid. de Pined. *Comment. in Iob.* To. II. p. 100) in טַב mutatam, rectissime ab auctore additam esse, neque aliud quidquam in hoc loco affirmari, quam ratum fore, quod passim vel Iobus ipse vel amici de sorte proborum hominum fuerant ominati 11, 15. 17.

§. 4.

Aliquanto citius defungemur, quae nos nunc excipiunt, versione *syriaca*, quam Peschito vocant, fidaque eius pedissequa *arabica*. Inter quas tantam videbis etiam in singulis vocibus convenientiam, ut si demas pauca ista, quae parenthesi inclusimus, iisdem utraque latine reddi posset verbis. Sint ut sua indole sic etiam loco suo hic coniunctae.

ܘܐܢܐ ܝܕܥ ܐܢܐ ܕܦܪܘܩܝ ܚܝ ܗܘ܂ ܘܒܚܪܬܐ ܥܠ ܐܪܥܐ V. 25.

ܕܓܠܕܝ܂ ܘܟܠܐ ܡܚܘܬܐ ܗܘ ܐܬܟܪܟܘ ܘܡܢ ܒܣܪܝ ܘܟܠܐ ܚܙܝܬ܂ V. 26.

V. 27. ܐܢ ܚܙܝܬ ܠܐܠܗܐ ܥܝܢܝ܃ ܢܘܗܪܐ܂ ܘܟܠܗܘܢ
ܡܫܟܝ ܗܘܐ ܚܘܪ ܟܠ ܡܢ ܡܕܡ܂

V. 25. وَأَنَا فَإِنِّي أَعْلَمُ أَنَّ مُخَلِّصِي حَيٌّ وَعَلَى
V. 26. ٱلْفَنَآءِ عَلَى ٱلْأَرْضِ يَظْهَرُ * وَعَلَى جِلْدِي
V. 27. ضَاقَتْ هٰذِهِ وَعَلَى بَشَرِي * فَإِنْ أَبْصَرَتِ
ٱللّٰهَ عَيْنَايَ فَقَدْ رَأَتِ ٱلنُّورَ كِلَايَ هَلَاكًا
هَلَكْتُ مِنْ مَوْقِفِي *

V. 25. *Equidem scio, liberatorem meum vivum et*
in fine super terram appariturum esse *);
V. 26. *ac super cutem meam circumdata sunt haec*
et super carnem meam (arab. *et super cute*
V. 27. *mea angusta fuerunt haec*). *Si vident Deum*

---

*) Arabs melius hic cepit sensum syriaci ܕܠܝܐ, quam *Ephraemus*, in quo exstat ܩܕܠܝܐ; item ܒܣܘܦܐ, quod cum redderet عَلَى ٱلْفَنَآءِ *sub finem* indicare videtur vitae exitum, quum Iobus consenuisset; solent enim praesertim de senili ac decrepita aetate hoc verbo uti Arabes. Nec tamen refragor, si quis universe de dolorum, miseriarum, vexationum fine cogitet; haec enim ipsius syriaci interpretis sententia fuisse videtur. Alium vertendi modum, e constructione verbi ظهر c. على *vicit, superavit, adiutor exstitit* petitum, reprobant verba syriaca, quae expressit Arabs, ea vero si negligerentur mallem vertere: *et adiutor erit consumtioni* i. e. absumto seni *super terra*, quam, uti factum, *mortem superabit in terris*.

oculi mei, vident lumen; renes mei penitus perierunt e statuto meo (ar. *e loco meo*).

Versionis syriacae — de arabica parum attinet dicere separatim — constat quidem eam in universum esse indolem, ut auctorem quam fieri posset maxime sese ad textum hebraeum adplicuisse et iisdem plerumque verbis atque illic legantur usum esse, appareat; sed expositum etiam est a viris doctis (vid. Gesen. l. c. p. 82 ss. Credner de prophet. minor. vers. syriac. indole dissert. p. 107 ss.), eundem praesertim in difficilioribus locis interpretationem suam citra auctoritatem textus originalis composuisse secundum paraphrasin chaldaicam et graecam Alexandrinorum versionem; quapropter ex tribus istis in unoquoque loco cuinam accommodaverit sese, singulatim explorandum est. In nostro loco nulla habita est ratio versionis Alexandrinae, quae enim huic propria sunt, absunt a Peschito. Cum textu hebraeo Syrus accurate consentit in vers. 25, excepta una voce postrema, quam ambigue reddidit, ut nescias, utrum *apparere*, quemadmodum est in originali textu, an *sese revelare* significet. Posterius si accipitur, mutationem habes genuinae sententiae, quae paraphrasin chaldaicam redolet, pro cuius ingenio religioni ducitur, ipsum Deum facere stantem in terra. Praeterea in eandem rem observandum etiam hoc est, quod alibi, ubi suus est Syrus, retinere solet vocem אַחֲרוֹן, quam hic expressit chaldaismo quam hebraismo propiori, et quod totus versus, si syriacae litterae paucis quibusdam omissis transscribuntur in hebraeas, efficit interpretationem bene chaldaicam. In quibus vix verendum ducimus, ne praeter rem affinitatem inter Syrum et Chaldaeum ac studiose anquirere putemur, quum in iis, quae

sequuntur observata eiusmodi affinitas alicui usui esse possit, neque omittenda sint etiam leviora huius rei indicia. In versu 26 Syrus initialem particulam ואחר non legebat, qua re magis etiam ea confirmantur, quae supra de Alèxandrinae versionis origine disseruimus; postrema autem verba non tam putanda sunt defuisse textui, quam ad sequens comma ab interprete tracta esse. Tali modo quae sunt huic commati relicta, in ipsa versione obscuritate non vacant, praesertim quod non satis quo pertineat istud ܗܠܝܢ *) liquet, nisi ad dolores referas, quibus veluti circumvoluta erat et premebatur sive coarctabatur, ut Arabs bene cepit Syrum, cutis ac corpus Iobi. Sed maior ac mira sane est versionis syriacae et originalis textus in reliqua dicti nostri parte diversitas; tota quippe phrasis אשר אני אחזה־לי silentio praetermissa est; contra *oculi, qui Deum viderint*, dicuntur *lumen videre*, de quo nihil legitur in textu hebraeo, quocum etiam hoc parum concinit, quod *ex loco* Iobi, ut vulgo vertunt, sive *propter sortem suam*, ut nos reddidimus, renes periisse traduntur. Cogitari duplex potest discrepantiae huius causa, aut in mutilo textu hebraeo, aut in eo posita, quod Syrus secutus est chaldaicae cuiusdam versionis exemplum; ipse enim tam fidum sese praestitit ubique interpretem, ut, paucis particulis et pronominibus, quae omisit (Credner l. c. p. 92), exceptis, tam multa, ut hic factum est, nisi pependisset aliunde, nunquam sibi permisisset omittere. Utrique sententiae proba-

---

*) De numero plurali cum verbo singulari coniuncto vide Hoffmanni *Grammat. Syriac.* p. 171. 353. et Eichhorn. *Allgem. Biblioth. d. bibl. Litt.* To. I. p. 147. 388.

biles rationes haud desunt, altera eas repetit ex omissorum et mutatorum verborum sensu, altera ex versionis, quae proposita est, externa natura. Scilicet Dei videndi mentio in omissis illis verbis iniicitur, quod solet Chaldaeum, quum hominibus concedere id nollet, offendere, eundemque etiamsi non eo usque propellere audaciae, ut textum hebraeum, sancitum illum singulari popularium veneratione mutaret, saepius tamen ad vertendi modum adigere, quo evitaretur illa parum apta sententia. Cf. Gesen. l. c. p. 62. 75. Peschito auctor talia non moratur, sed religiose ad verbum reddit. Ies. 1, 12. 38, 11. Itaque coniiciant fortasse nonnulli, compositam esse nostri dicti syriacam versionem secundum chaldaicam interpretationem, non illam quidem, quae nobis servata supraque percensita est, sed simpliciorem aliquam, in qua pro more Chaldaei evitata fuisset textus originalis incommoda sententia, quaeque magis decurtatarum sententiarum gratia certe hic loci, quam, ut serioribus accidit, fusae verbositatis nomine reprehendenda esset. Persuasum quippe nobis ut aliis est (Credner l. c. p. 110 cf. *Allgem. Lit. Ztg.* Ian. 1832. No. 6.), chaldaicam paraphrasin primum simpliciorem, labente demum tempore ad istam verborum copiam ac sententiarum farraginem esse adauctam, arctioremque olim fuisse Syri cum Chaldaeo affinitatem, quam quae nunc utrique intercedat. — Ab altera parte si quis ad externam formam versionis syriacae et verborum similitudinem animadvertens, cogitat de textu hebraeo, quem ista supponit, hunc ita videbit a recepto nostro recedentem, ut per scribentium negligentiam vel codicem abolescentem facile fieri potuerit. Verba enim אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה—לִי ut in transscribendo omitterentur, probabile est putare, simillima quae ante-

cederent אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ effecisse; in sequente autem membro וְעֵינַי רָאוּ וְלֹא־זָר abolescentibus duabus tribusve litteris et una ז commutata cum simillima ו, textus עֵינַי רָאוּ אוֹר prodit talis, ex quo unde lucis commemoratio, quae tam multis admirationem movit, in Syro venerit, intelligetur. Atque est sane haec posterior explicandae discrepantiae inter textum hebraicum et syriacum ratio, in qua inscii conveniebamus cum Carpzovio Critic. Sacr. V. T. p. 630., priori illi eo magis antehabenda, quo plura eiusdem rei exempla ibidem vides collecta. Sed liberum maneat uniuscuiusque arbitrium; unum hoc ne diffiteamur, singulari aliquo et admodum miro accidisse casu, ut potissimum in eo loco eveniret corruptio textus hebraei, in quo mutationis consulto factae in chaldaica paraphrasi tam propinqua est suspicio. — Denique notandus est error in explicandis postremis syriacae versionis verbis, qui et vetustus est, et omnibus, quos in ea versatos novi praeter Doederleinium (*Schol. in Iob.* ad h. l.) communis. Verterunt nempe ܡܢ ܡܩܘܡܝ, ut iam Arabs et Gabriel Sionita fecerant: *de* sive *ex loco meo*, sensu, qui et ipse parum aptus est, neque ullo pacto potest qua sit ratione e textu originali ortus demonstrari. At vero id nemo attendit, quod ܡܩܘܡܐ praeter stationem designat statutum, decretum, respondetque hebraico חק Ps. 2, 6 (Polygl. Walton.), qua re nexus Peschito cum textu hebraeo facile perspicietur. Nimirum mutatis ut passim alibi (cf. Credner l. c. p. 91.) vocalibus, textum sic enunciavit auctor: כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֻקִּי *perierunt renes mei in statuto meo*, quod haud inepte interpretabatur aut de dolore propter miserias divinitus decretas ac Iobo exantlandas, aut, ut statuit Doederleinius, sed quod minus convenit cum notione vocis

חזק, de desiderio, adipiscendae a Deo sententiae in causa suâ, quam saepius sibi expetierat.

Absolutis tali modo iis, quae de singulis dicenda erant, denique breviter quaerendum est de syriacae versionis sensu universo. Ac de resurrectione mortuorum cepisse Syrum hebraica verba, ne levissimum quidem vestigium est, imovero quae potuissent ex hebraicis vocibus eo trahi, sic sunt ab eo redditae, ut cogitandi de ea ne sit ansa quidem relicta. Dormitasse igitur aliquantulum videtur bonus homo, *Ephraemus* Syrus, quum (*in librum Iob. explanatio*) commentaretur versum 25. ܗܘܦܟܐ ܟܠܐ ܒܐܢܫܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ ܕܡܬܓܠܝܢܘܬܗ ܗܘ ܕܗܘܐ ܒܣܘܦܐ ܕܙܒܢܐ ܐܬܢܒܝ *hoc loco de manifestatione Immanuelis in carne sub finem temporis futuram vaticinatur* Iob, in quem errorem quum syriaca voce ܢܬܓܠܐ perductus videatur, novo hic locus testimonio esse potest, *Ephraemum* nulla textus hebraei ratione habita, solam versionem Peschito ut ducem esse secutum. Non meliora sunt quae de verbis ܟܘܠܝܬܝ ܢܘܗܪܐ ܢܕܢܚ protulit: ܗ ܕܥܠ ܟܘܠܝܬܝ ܢܕܢܚ ܢܘܗܪܗ i. e. *super renibus meis lux eius exorietur*; sic enim cum avellatur vox ܟܘܠܝܬܝ a sequentibus, haec ipsa vix sensum aliquem habent; cetera eaque difficiliora silentio praetermisit non magnopere hic loci laudabilis interpres.

§. 5.

Ad aliam versionem *arabicam*, ignotam hucusque, faustiorique nobis fortuna allatam, simul cum laetitia quadam ac timore animi progredimur. Rabbi *Saadiae Gaon*, celeberrimi illius saeculo decimo ac docti Rectoris in academia Babylonensi interpretationem Veteris Test. constat Oxoniae in

bibliotheca Bodleiana uno codice manuscripto asservari, perscriptam quidem in lingua arabica, sed litteris rabbinicis, passim sine punctis diacriticis nec raro mendose exaratam. Hinc typis adhuc impressus est Pentateuchus arabice in Bibl. Polyglott. et Iesaias opera V. V. Pauli *). Iobi interpretationem Gesenius in suum usum descripsit, unde, qua est singulari humanitate vir ut pauci doctus, mecum eam partem, quae ad rem meam attinere videbatur, benevole communicavit. Iusta igitur nobis est de tam raro adminiculo laetandi, eique qui obtulit gratias agendi causa, quamquam cum formidolosiori animo in usum nostrum convertebamus. De instituti nostri ratione praemoneantur haec.

In vertendo commentario *Saadiae* passim nobis sumsimus, quae inservire videbantur explicandae vel cum ceteris connectendae sententiae interpretis arabici, non ubique perspicui, uncis circumclusa addere. Aliquoties textus e coniectura emendandus videbatur, quod si modo probabilia proposita sunt, non iudicabitur nimis audacter factum, quum testibus Paulo l. c. praefat. et Gesenio l. c. tom. I. p. 89. in uno codice illo, qui adhuc repertus est, mendae non admodum rarae sint. Placuit etiam adscribere vocalium signa, quia et gratum mihi hoc est negotium, et sic citius a legentibus quomodo sensum e textu enucleaverim percipitur. Ceterum petenda est cum *Saadiae* interpretationi, interdum futili, eiusque sermoni, non casto illi ab omni parte, sed declinanti nonnunquam ad vulgi et Iudaeorum dictionem, tum mihi indulgentia, si quid sinistre fece-

---

*) *R. Saadiae Phiiumensis versio Iesaiae, arabica* etc. *edidit.* H. E. G. Paulus. Ien. 1790. 91.

rim in re tam ardua tantisque difficultatibus impedita. — *Saadia* autem commentatur in hunc modum.

وأنا أعلم يومئذ ناصري
حيا وأخيرا مقيما علي
التراب * حتى أعلم أن
أوليائي باقيون يأخرون [1]
[وأخرون] بعد هم علي
التراب يقومون [2]. גאלי هم
أوليائي من الناس تمنا [3]
أن يرون كلامه حتى
يكون له ذكرا ثابتا

V. 25. Et equidem sciam tunc, adiutorem meum vivere et postremum constiturum super pulverem.

(Utinam insculpantur sermones mei lapidi), ut sciam patronos meos superstites esse, aliosque post eos (prioribus vita defunctis) super pulverem staturos (in terra nasci). — גאלי sunt patroni mei ex hominibus. Optavit, ut viderent orationem suam, ut esset ei memoriae perenni; patroni ex

---

1) In lexicis primae coniugationis forma, quam exhibet autographum ואכרון, non exstat; ea vero aut concedenda est licentiae Saadianae, aut scribendum وأخرون, ad quod propter litterarum ר et ו permutationem, saepius obviam (vid. Paulus l. c. praef.), magis propendemus.

2) Proxime huc accedit Aben-Esra, qui vivo Goeli i. e. vindici nunc viventi et inter homines versanti אחרון, aliquem posthac nascendum hominem opponi tradit.

3) „Post Fatha ي saepius cum ا permutatur in scriptione hac rabbinico-arabica.“ Paulus l. c.

أَوْلِيَآءُ[4] مِنَ ٱلْمُؤْمِنِينَ يَتَنَاقَلُونَ أَخْبَارَهُ هُمْ وَمَنْ قَامَ مِنْ نَسْلِهِمْ عَلَى ٱلدُّنْيَا[5] كَمَا قِيلَ ואחרון על עפר יקום. وَغَرَضُهُ بِذَلِكَ أَنْ يُعَلِّمَ[6] ٱلنَّاسَ

credentibus sibi enarrabunt historias eius (de eo) ipsi et qui surgunt ex prole eorum super mundo, quemadmodum dicitur: ואחרון על עפר יקום; et intentio sua in his est, ut doceat homines,

4) In textu rabbinicis litteris exarato legitur יארליא, quod quam exprimat formam arabicam, equidem non video. Latere autem in hac voce substantivum aliquod, indicatur sequente هُمْ, quod ad illam referendum esse, neminem praeterit. Nihil attinet copiose exponere, primam litteram Iod pro spuria habendam scribendumque esse أَوْلِيَاءُ, quod pluries hic loci repetiit auctor et sensus postulat.

5) „Rambàn reprehendit nonnullos, qui hunc versiculum ita exposuerint, quasi non de Deo, sed de homine haec Iob diceret: Equidem si mea dicta insculperentur, scio aliquem fore ex iis, qui nunc vivunt, qui mihi esset redemtor, id est, qui ius meum assereret et adversum vos tueretur, aut certe aliquem ex iis, qui post nascituri sunt.“ Merceri *Commentar. in Iob.* p. 145.

6) In cod. mspto., quo usus est Gesenius, יְעַלֵּם legitur, appositis iis vocalibus, quae arabico يعلم appingi nullo pacto possunt. Moris est Rabbinis, ubi dubia esse possit vocalibus absentibus pronunciatio et sensus, istam apposita vocali aliqua characteristica indicare. Sic in codice mspto. tractatus grammatici ספר רקמה *R. ben*

كَيْفَ يَبْلُو ٱللّٰهُ كَمَا قِيلَ ٱلصَّالِحِين [زهم] سهم[7] quomodo affligat Deus, quemadmodum dicitur: probi propinqui patientibus; idcirco dixit ואחר

Gannach, saec. 13. exarato, cuius partem Parisiis mihi descripsi, invenitur מַסְלֵךְ *contorte*, מַשְׁכֵה al. In arabicis autem operibus, litteris rabbinicis exaratis, aut ubi citantur in hebraeo opere arabicae formulae, solum consonantes, nulla vocalium ratione habita, scribi vulgo solent, quibus nonnunquam vocales hebraicae adduntur, ut in codice meo laudato יְכוּן, يَكُون, חָוֺב i. e. ذَوْب legitur. Simili ratione permotus adscripsisse videtur auctor noster vocales voci יְעַלֵּם; quibus certum est eum indicaturum fuisse, alio quam qui proximus sit modo pronunciandam esse vocem يُعَلِّم. Cum adiectae vocales Chirek et Zere characteristicae sint coniugationis Piel, quacum congrua est secunda Arabum, haud a vero aberrare nobis videbamur, hanc ipsam, ad sensum commodam, quum reciperemus in textum.

7) Haec proverbium redolent homoeoteleuton, ex vulgi usu petitum, ut forma ٱلصَّالِحِين pro ٱلصَّالِحُون indicat. De sensu incertus haereo; pendet is praecipue a voce, quae hebraice scripta זהם, arabice reddenda esset زُهْم *adeps*: „pii adeps patientium," quo forsitan significaretur, probos homines esse optimos eorum, qui patiantur; sed haec parum ad contextum apta. Idcirco eiusmodi equidem hic velim consonantium permutationem factam putare, qualem ex soni similitudine ortam etiam Paulus l. c. praef. concessit; سُهْم *propinquitas* si scribitur, haec est sententia commentatoris, optare Iobum, ut ad posteros fata sua tradantur, quibus discant, ipsis probis hominibus Deum nihil parcere,

صابرين لـذلـك قـال
ואחר עורי נקפו זאת׃
وقول ואני ידעתי גאלי
חי من[8] جملة التمني اي
ليت هذا القول كتب
عني حتى يكون لي
ناصرا اعترف به في
حياة يشاهدني اياه
وبعد الموت ببقاء بعهدي
وكذلك ואחר עורי נקפו
זאת من جملته ايضا
تمني [انتخط][9] ان

עורי נקפו זאת. Et dictio ואני ידעתי גאלי חי est phrasis optativa, scilicet: utinam hoc dictum litteris consignaretur me auctore, ut mihi sit patronus, qui illud profiteatur in vita, dum praesens ego id specto, et post mortem, dum manet in memoria. Item ואחר עורי נקפו זאת, ex phrasi sua iterum optat, ut scribatur

---

quemadmodum idem affirmet proverbium, honestos velut necessitudine cum miseris coniunctos esse.

8) من للتبعيض vid. Sacyi *Antholog. gramm.* p. 1··.

9) Legitur in exemplari meo אתכט, quod arabicis litteris reddendum est إنتخط. Haec forma vix aliunde quam a radice وخط *perfodere* derivari potest, eamque derivationem approbare videtur convenientia cum verbo נקף, quod est in textu hebraeo, reprobare au-

تنخط قصته علي ظهر جلده وحقيقة برصه فيتجسم للناظرين[10]

historia sua super superficiem cutis suae, et quidem [hoc est] vera indoles leprae suae, quo incorporata sit spectantibus. Ac

---

tem, quod genere differt a substantivo suo قصة et nusquam invenitur in coniugatione 8. Sed ostendunt simillima, quibus idem sensus infra exprimitur, verba وفي ظهر جلدي خطت قصتي, in isto אחכט latere radicem خط, unde tamen forma انتخط derivari non potest. Propterea e coniectura scripsi أن تنخط, quod facile contrahebatur in انّخط per usum vulgi, et non solum apto, quem fundit, sensu, sed etiam constructione commendatur; sic enim particula أن, quam aegre abesse sinas post optandi verbum additur, et verbi genus convenit cum substantivo suo.

10) Sic scripsimus quamquam in exemplari hebraeo exstat ללנאצ׳רין, quod proprie esset للناضرين *formosis, nitentibus corpore*, confisi observatione Pauli l. c. praef., quod pro צ et ט saepe promiscue ض pingitur. Cuius rei causa aeque bene in litterarum ظ et ض simili forma (in illa si omittitur linea superne ducta, efficitur haec), quam ut a Paulo l. c. factum est in soni similitudine quaeritur.

Sensus apertus est; optat, ut miseria sua maxime leprae nausea ad vivum appareat iis, qui ipsum conspiciant.

وَأَمَّا [11] سَخِينَا فَلَا يَعْلَمُ
أَحَدٌ مَا يُسْخِنُو بِهِ
وَلِذَلِكَ ועיני ראו ולא זר
وَبَعْدَ بِلَى جِلْدِي
يُحَافِرُ بِقِصَّتِي هَذِهِ
وَأَكُونُ مِنْ أَمْرَاضِ
جِسْمِي [12] قَدْ دَلَلْتُ [13] عَلَي

quod attinet oculi ardorem [praesertim ex acriori fletu ortum] nemo scit, quid eum inflammet, propterea ועיני ראו ולא זר.

V. 26. Et post attritionem cutis meae [ea] perfodietur hac mea historia, et equidem ex aegritudinibus corporis mei iam adspexero Deum.

---

11) Hebraice scriptum est שכינא, quod si voluisset constare sibi, potius exarandum fuisset סכינא, س enim ubique exprimitur per ס. Causa huius permutationis in pronunciatione posita videtur. Quippe Saadia, vel nescio quis alius, qui transcripsit, arabicam vocem ad Hebraeorum modum enunciavit, ita ut sono conveniret cum שְׁחִין *ulcus*, *apostema*, quod significatu illi est proximum; ambo enim ab ardendo nomen traxerunt.

12) Hic et paulo post in textu meo legitur גמסי, quo expressum esset hebr. בָּשָׂר; sed جمس nihil est. Contra saepissime בָּשָׂר a Saadia redditur arabico جِسْم, quod etiam hic restituendum esse in textum quilibet videt.

13) De constructione verbi دلّ eo sensu, quo accepimus conf. Ies. 38, 11. Sensus est, per corporis sui afflictionem Iobum iam cognovisse Deum. Scholion statim sequens idem fusius explicat, se eodem velle documento homines docere Dei actiones.

اللّهُ : يعني اوريه[14]
للنّاس : وفيه كلمة
مضمرة ومعنى וְאַחַר
בְּלוֹת עורי حسب كلّ
مضنىً. وفي ظهرِ جلدي
خُطَّتْ قصّتي هذه
فأبصر آيةَ اللّهِ من
جسمي :

Hoc significat: eum demonstrabo hominibus. In hoc [dicto occurrit] vocabulum cum pronomine suffixo; sensus est ואחר בלות עורי, intelligit omnia macie confecta. Et in superficie cutis meae delineata est haec mea historia, videbo igitur miraculum Dei ex corpore meo[15]

14) Hanc vix ausim defendere formam nisi per Hebraismum. Observavi, quod Saadia verbum hebr. ירה in hiph. saepius interpretatus est per arabic. دلّ Genes. 46, 28. Exod. 4, 12. 15, 25. Deuter. 17, 11.; ut probabile sit, eum in nostro loco vice versa hoc per illud explicuisse. Praeterea in eandem rem facit, quod Saadia subinde hebraicis vocibus ut arabicis utitur. Cf. Paul. l. c. praef.

15) His verbis proxime accedunt vel dilucidandis inserviunt ceterorum Rabbinorum paraphrases, inter quas Perizolii habet: *Considerans carnem meam video existentiam Dei et potentiam eius*, Nachmanidis: *Quando video carne mea absumta, me vivum adhuc, video potentiam Dei in creaturas*, Aben-Esrae: אחזה אלוה הנגעים שיחדש עלי *videbo Deum est plagas, quas in me innovabit*, R. Salomonis: אחזה משפטים *videbo iudicia*, quibus addit אלוה continere לשון משפט ויסורים *significationem iudicii et punitionum.*

كَمَا أَنَا أُشَاهِدُ نَفْسِي
وَعَيْنِي تَنْظُرُ لَا غَيْرِي
حَتَّى شَخَصَتْ 16)
أَشْخَاصِي إِلَى حِجْرِي
يَعْنِي عَيْنَيْهِ لَا بِهِمَا
ٱلشَّاخِصَاتِ:

V. 27. Quemadmodum ego coram spectabo egomet, et oculus meus videbit, non alius quam ego, donec tumorem contrahat immotus meus despectus ad gremium meum; intelligit duos oculos suos, non in his adspicientes [quibus vis videndi deest].

Iuvat pauculas huic explicationi subiungere observationes, quum nonnulla ei sint sic propria tamque singularia, ut vix possint silentio praetermitti. Ac primum quidem notandum est, quod versum 25. cum antecedenti arctissime coniunctum voluit Saadia, ipsis enim sermonibus Iobi inscriptis lapidi effectum iri statuit, ut non desint causae eius patroni. Hinc וַאֲנִי יָדַעְתִּי vertit: *ut ego sciam.* Eiusmodi vero sequi is solum potuit constructionem, qui גֹּאֲלִי non, ut vulgo fit, de uno aliquo coelesti vindice, sed collective de hominibus omnibus ceperat, humano genere in hac terra oriundis (עַל עָפָר יָקוּם), causamque Iobi acturis. Non est operae pretium, haec, Aben-Esrae quoque probata, qui Goelem de nunc vivente, et inter homines

16) De hac verbi شخص accipienda significatione edocuit nos Levit. 26, 16. Deut. 28, 65. Alibi orientalibus populis immotus ac fixus despectus in sinum status est meditantium, hic autem continuam laceratae cutis considerationem designare videtur.

versante viro interpretabatur, multis confutare; sufficit indicavisse causam, qua abductus sit in tam perversam sententiam Saadia. Scilicet quaecunque anthropomorphismum saperent, religioni sibi duxit de supremo numine praedicare, sed ad homines transtulit, quae illuc spectare videbantur, vel alia quacunque ratione evitare studuit. Qua de causa ei etiam scrupulum iniecit phrasis חָזוּ אֱלֹהִים, eaque vario modo sese expediebat, vel substituens angeli in Dei nomen Exod. 24, 11., vel mutans sensum hebraearum vocum Ies. 1, 12., vel, ut in nostro loco factum videmus, pro numine miraculum divinum (آية الله) compellans. — Tum memorabile est, qua ratione construxerit et explicuerit verba נִקְּפוּ זֹאת; ac retulit quidem זאת ad fata ab Iobo exantlata eorumque historiam [supplet enim قصّة], idque cum verbo in plurali נִקְּפוּ significatu perfodiendi, insculpendi coniunxit. Scilicet per corporis labores praesertim lepram veluti historiam miseriarum cuti suae impressam cerni, hincque materiam et causam dicendi de mirabili omnipotentis Dei agendi ratione Iobo datam existimabat. At vero haec et quae possent alia eiusdem generis notari in Saadiae explicatione ita sunt ad arbitrium constituta, ut eodem iure vel potius pari iniuria quodlibet aliud in medium proferres, neque esset profecto, si tam studiose tamque inepta ratione effugere velles doctrinam de resurrectione mortuorum hic expositam, quod eos, qui eandem ex eodem loco demonstraturi sunt, propter nimiam licentiam posses vituperare. Quamquam igitur insigni haec explicatio ac memorabili documento est rationis et viae, quam medio aevo Iudaei in exponendo dicto nostro tenuerunt, non multa tamen ad eruendam veram auctoris sententiam hinc lucramur, nisi

quod discimus, miro modo etiam ab iis nonnunquam, qui bene eruditi sint linguamque hebraicam optime calleant, detorqueri Sacrae Scripturae sensum, ubi subacto iudicio et sobrietate mentis aut destituti aut non usi, pro ludibrio misceant verborum formas ac significationes.

Tali modo haec ipsa versio Saadiae nos paene invitos ad seriora saecula et id genus hominum detulit, qui natu Iudaei per antiquum et medium aevum fere soli hebraicae linguae periti erant, quorumque maioris momenti idcirco est in hac re auctoritas. Placet igitur, statim hic, quamdiu res postulat, iis immorari, ne subitario, ut fit, cursu refugere videamur multis saepe vocibus strepentem, attamen doctam circumcisorum hominum societatem. Sed modo ne quis a nobis postulet, ut omnium Rabbinorum, quorum exstant, commentarios huc transscribamus; hoc enim et triste est et parum utile negotium, plerisque easdem sententias iisdem saepe verbis repetentibus. Quapropter satius visum est, unum Aben-Esrae commentarium, Saadiae quodammodo similem, eundemque breviorem hic exempli causa totum exhibere, ceterorum autem observationes, si quid pretii habent, aut summatim excerptas proponere, aut infra ubi de singulis dicetur commemorare. Pauca autem illa, quibus sese continebat Aben-Esra, haec sunt.

והתאויתי שארע שגאלי
שדבר בשבילי טוב הוא
היום בחיים או יהיה אחרון
שיולד: ואחר עורי נקפו

Et opto, ut noverim redemtorem meum, qui de vita mea praedicet bona; hic nunc inter vivos est aut posthac nascetur. Verba ואחר עורי נקפו זאת dicta sunt ut

זאת· כמו ונקף סבכי היער ועניין זאת עצמי ועורי ובשרי: אחזה אלוה· הנגעים שוחרש עלי:	נִקְּפוּ סִבְכֵי הַיַּעַר (apud Ies. 10, 34. Hoc indicat, נקפו eiusdem formae Niph. et significationis caedendi esse, ut l. c. legatur). Ac זאת significat ossa mea, cutem et carnem meam. *Conspiciam Deum* i. e. vexatores, quos renovat contra me.

Haec quamquam succinctior est explicatio illa Saadiana, tamen cum ea in pluribus ac gravioribus consentit. Vindicem enim super terram surrecturum et innocentiam Iobi defensurum utraque de homine interpretatur, humanis parentibus oriundo; verborum נִקְּפוּ זאת et significatio et constructio hic eadem ut illic accipitur, et Dei adspectum utraque hominibus denegat, sed suo quaeque modo evitat. Alii Rabbinorum ut Perizol locum nostrum aliter, nonnulli saltem in eo bene tractaverunt, quod ipsum Deum pro vindice habebant. Sic Ralbag (רבי לוי בן גרשם), cuius commentarium summatim certe subiungimus, ut ista quodammodo sentiatur diversitas, haec habet:

V. 25. כי אני ידעתי מי שגואל נפשי ומגיע לה הצלחתה אשר הוא חי וקיים לנצח. וידעתי האחרון אשר על עפר	V. 25. Nam ego scio eum, qui redimat animam meam eique contingere faciat felicitatem, vivum et superstitem esse in perpetuum; ac equidem novi aeternum, qui super pulverem stabit,

יקום והוא השם שהאחרון מהפועלים הנצבים על הארץ הוא השם וקראו אחרון להיותו אחרון אצל חקירתינו כי אנחנו נתחיל מן המאוחר ונלך ממנו אל הקודם ואמנם הוא ראשון במציאות (v. 26.) ועם כל זה רבו מכותי עד שאחר שנקבו עורי שברו את העצם. ומבשרי אראה יד השם ומכתו: (v. 27.) ואולם הרע המשיג אותי אשר אני אחזה לי לבד הוא שאני משער כי מרוב חליו כלו כליותי תוך גופי:

est enim numen supremum, postremus opificum in terra constitutorum. Nuncupaverunt eum *postremum* quod intelligendum est ex adverso nostri, nostra enim cognitio incipit ab his inferioribus, quae sub sensum cadunt, tandemque hinc ad Deum conscendit, ille vero existentia sua primus est. V. 26. Nihilominus multae sunt plagae meae, donec cum confecerint cutem meam, confringant ossa; et ex carne mea videbo (cognoscam) manum Dei et plagam eius. V. 27. Attamen hoc quo affectus sum malum est, quod equidem video mihi solus i. e. ego aestimare possum, nam per morbum meum acerrimum perierunt mei renes in medio sinu meo.

Hinc etsi apparet, etiam inter Rabbinos quemque suam viam secutum esse, in nonnullis a ceteris recedentem, tamen unum est, in quo conspirant Iudaei omnes, quod nunquam haec verba Iobi ad resurrectionis dogma retulerunt. Observaverat hoc Mercerus (*Comment. in Iob.* Genev. 1573),

vir liberalioris doctrinae et hebraica lingua bene imbutus, sacrorum emendatorum tempore in academia Parisiensi clarus; cui quum ante CALIXTUM (*De immortalit. anim. et resurr. carn.* c. 5. p. 39.), quem primum illi contradixisse putavit HENKIUS l. c. p. 46, iam obiecisset DE PINEDA (*Commentar. in Iob.* Tom. II. p. 101): „*illam* (corporum resurrectionem) *aperte agnovit R. SAMUEL MARROCHIANUS in epistola illa de adventu Messiae ad Isaacum Israelitam. cap.* 11.," idem iterum opposuerunt certe in hac re cum CALIXTO consentiens CALOVIUS, et ingens commentatorum grex, et ipse SCHULTENSIUS. At nihil agunt, ut HENKIUS l. c. recte monet, qui ad SAMUELEM istum provocant; is enim, ut videre est cuilibet verba ipsa inspicienti, secundum versionem Vulgatam laudavit locum, et a Iudaismo ad christianam religionem conversus, libellum suum de adventu Messiae adversus Iudaeos scripsit (WOLFII *biblioth. Hebr.* Vol. I. Nr. 2076. p. 1099); ubi quum soleret, quae illis improbarentur, defendere, ex eo ipso, quod hic doctrinam de mortuorum resurrectione in nostro loco contineri affirmabat, concludendum videtur, id eos, a quorum partibus secessisset communi consensu negavisse. Hanc vero communem Iudaeorum sententiam ad indicandum dicti nostri verum sensum alicuius momenti esse, iam sensit et facile legentibus persuadebit MERCERUS, qui etsi in ceteris fidem melioris vitae et redemtionis per Messiam Iobo vindicaret, tamen l. c. „Si de resurrectione futura, inquit, hic loqueretur Iob, non erant haud dubie id praetermissuri Hebraei, qui et ipsi resurrectionem credunt; at ne unum quidem ex sex aut septem Hebraeorum commentariis invenies, qui eo referat."

§. 6.

Reliquum est de *latinis versionibus* dicere, magis propter insignem illam in ecclesia auctoritatem, quam propter internam virtutem claris. Eae autem duae sunt, altera quae vulgo *Itala*, sive *communis* et *vetus* dici solet, secundum graecam versionem concinnata, emendataque ab Hieronymo ad editionem Alexandrinae versionis hexaplarem, altera ab Hieronymo ad fidem hebraicam facta ac Vulgatae nomine nota. Intercedit inter utramque magnum aliquod discrimen, quod quo clarius percipiatur, eas, ut exstant in Sabatieri egregio opere (Petri Sabatieri *Biblior. sacror. latinae versiones antiquae, seu vetus italica et caeterae quaecunque in Codd. Ms. et antiquor. libris reperiri potuerunt. Paris.* 1751. To. I. p. 866.), ex adverso positas hic describamus.

Itala.	Vulgata.
V. 25. Scio enim quia aeternus est, qui me resoluturus est: super terram	V. 25. Scio enim quod Redemtor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum:
V. 26. Resurget cutis mea, quae haec patitur: a Domino enim mihi haec contigerunt,	V. 26. Et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum.
V. 27. Quorum ego mihi conscius sum; quae oculus meus vidit, et non alius, et omnia mihi consummata sunt in sinu.	V. 27. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo.

Italae recensio, quae Hieronymo tribuitur in eo loco, de quo agimus ab antiquioribus ex graeca

factae versionis exemplaribus plane non differt, nisi in censum vocare velis leviores et perpaucas diversitates, quas apud RUFINUM (*Expos. in Symbol. apost.* Opp. *Cyprian.* p. 399, ed. Rigalt.), AMBROSIUM (*De interpell. S. Iobi* lib. I. c. 5. Opp. *Tom. III.* p. 359 ed. Erasm., *De fide resurr. or.* Opp. To. III. p. 31.) et PHILIPPUM Presbyterum (*Expos. in hist. Iob.*, lib. II. p. 79, ed. Basil. 1527.) occurrentes commemoravit atque ex versione aliqua, ab HIERONYMO non retractata, incertis rationibus derivavit HENKIUS l. c. p. XI. XII. Reddidit autem Itala sic, ut accuratius non potuerit fieri, LXX. versionem leviter modo ad lectionem codicis Alexandrini in isto ἀναστήσει δέ propendens. Ex quo consensu Italae cum Alexandrina interpretatione accuratissimo apparebit simul ea omnia, quae supra a nobis sint de huius sensu exposita, valere etiam de illa, nec potuisse, quamdiu illa unice legebatur, Iobi verba ab ecclesiae latinae doctoribus magis quam a graecis de futura resurrectione corporis explicari.

Sed alia res est in nova illa, quam ex hebraico fonte hausit HIERONYMUS, versione. Ea enim ut ex dogmatum ecclesiasticorum studio aperte prodiit, ita per multa saecula latinos scriptores omnes, hebraicae linguae ignaros, coegit, ut istam Iobi professionem cum HIERONYMO *Epist. LXI. ad Pammach. cap.* 10. et *Commentar. in Iob. XIX.* 26. pro „isto clypeo haberent, quo ecclesia, quae incarnationem unigeniti Dei veram confitetur et resurrectionem mortuorum verissime credit futuram, se munit et protegit, et inimicos suos convincit ac debellat. Ubi sunt igitur," idem addit contra *Origenis* asseclas (cf. *ad Pammach.* l. c.) disputans, „qui dicunt, nos in resurrectione alia corpora habi-

turos; audiant istum virum, ore Dei laudatum, dicentem: *quem visurus sum ego ipse.* Ego ipse Iob, qui in stercore iaceo, et totus vulnerum sanie computresco; ego inquam Iob, iam corruptus, atque vulneribus dissolutus, in hac carne mortali, incorrupta resurrectione futura glorificatus videbo Deum; et ut exprimeret ipsius sui corporis instaurationem, idcirco ait: *oculi mei conspecturi sunt.*" ctr. Ac fatendum quidem est, pro ista versione non potuisse alium sensum constitui; sin vero quaerat quispiam de eius ad fontem hebraeum ratione, profecto nescit, utrum magis summam illam vim, quam dogmaticae notiones in animum Hieronymi exercuerint, an audaciam eius miretur, qui hebraicis litteris per iudaicos magistros institutus, interpretationem proposuerit, quae probari a nemine, excusari vix ullo modo possit. Nonnulla enim, quae in textu non leguntur, adiecta, alia sic reddita sunt, ut cum eo pugnent. Videlicet אחרון vertitur *in novissimo die*, in quo nolim cum Henkio l. c. vocabulum *die*, quia absit in paucis quibusdam codicibus, glossema dicere, voci *novissimo* a sciolo quodam homine ex alio loco Hieronymi (*Epist. LXI. cap. XI.*), ubi versionem suam latius circumscripsit, additum. Namque facile fieri potuit, ut in illis codicibus vocabulum *die* propter simillimam particulam *de*, statim sequentem, omitteretur, nec, etiamsi omittatur, multum lucramur, quum *in novissimo* nihil aliud, quam *diem novissimum* significet, nec denique, talem vocem praeter textum addere, ab eius audacia abhorret, qui incredibili licentia עֹרִי נִקְּפוּ זֹאת reddidit: *rursum circumdabor pelle mea*, atque tertiam personam יָקוּם per primam *surrecturus sum.* Postremum hoc tam grave tamque apertum vitium est, ut per inscitiam vel petulantiam interpretis committi non

posset; imo patet, ea ipsa, in quibus sedes et vis probandae resurrectionis inesse putatur, consulto et temeritate aliqua mentis textui obtrusa esse, eosque inter catholicos interpretes, qui cum DE PINEDA talem Vulgatae errorem serio defendere audeant, nihil aliud efficere, quam ut labem nomini suo adspergant. Attamen ne damnare videamur, quorum rationes allatae non sint, audiamus DE PINEDAM prolixe de hac re disserentem, magis ut cognoscatur, quibus armis, futilibus puta et imbecillis, isti sese defendant, quam quod copiosa confutatione indigere videantur. Ille vero in *Commentar. in Iob.* To. II. p. 99: „difficultatem, ait, varietas personarum facit, nam in Hebraeo refertur sententia ad tertiam personam propter litteram Iod, formativam tertiae —, loco litterae Aleph, formativae primae personae. — Conveniunt autem illae duae litterae Iod et Aleph figura et charactere; nam Aleph componitur ex duobus Iodaiim, virgula obliqua interiacente a sinistra ad dexteram. Quare si interpres Vulgatus *aliud verius et incorruptius exemplar* nactus est, quam quod modo habemus, certe *ex illo ipso potuit alicuius corrupti atque corruptoris Iudaei audacia partem litterae Aleph abradere*, superiori tantum Iod servato, ne tantum mysterium de resurrectione per Christum Redemptorem homini conferenda integrum nobis relinqueret atque adeo primam personam converteret in tertiam.“ Risum teneatis, amici! Nostro enim tempore certe eo usque veri studium et humanitas valent, ut huius generis argumenta vanaeque istae Iudaeorum criminationes non modo nullam fidem, sed etiam risum faciant, quippe contrarium edoctis, non tam in textu originali, quam in veteribus versionibus Sacrae Scripturae nonnulla passim immutata dogmatumque doctri-

nae accommodata esse. Nec tutius alterum istud DE PINEDAE refugium est, dum addit: „Quodsi interpres eundem, quem nos, codicem habuit, certe potuit verbum *Iakum* in tertia persona sumere transitive, active: excitabit, eriget, suscitabit de terra. Posse autem transitive accipi, noster ipse Vulgatus docuit, cum Amos 7, 2. vertit eandem vocem active, *quis suscitabit* (Iakum) *Iacob, quia parvulus est.* Quod fieri posse, sine causa quidam, non omnino integrae fidei auctores negarunt.“ At quum tanta sit apud DE PINEDAM auctoritas Vulgatae, ut notiones vocum hebraearum constituendas ex ea censeat, quid eum adduxerit, istud *surrecturus sum* aliis etiam rationibus defendere, vix intelligitur, quum si constitisset sibi breviter eadem auctoritate contendendum fuisset, יָקוּם praeter tertiam primam quoque personam significare! Sed spernendam istam suam auctoritatem esse, illo ipso exemplo Am. 7, 2 docetur. Ibi enim verbum קוּם, ut per totum V. T. intransitivae notionis est: „*quis* (als wer) *stabit* (durabit) *Iacobus? parvus quippe est*, i. e. qua ratione regnum servabitur, rebus tam afflictis? — Sic igitur omnia, Vulgatam versionem, cui vel *Lutherus* noster aliquantulum dedit, minime ita comparatam esse, convincunt, ut hinc ad dirimendam istam quaestionem, num in Iobi dicto dogma de mortuorum resurrectione contineatur, possint argumenta repeti, ab HIERONYMO autem temeritatis notam averti non posse, qui refragante textu originali, immoderato ecclesiasticorum dogmatum studio, et violenta manu pugnantia cum hebraicis verbis et aperte falsa versioni suae inferret.

Sed tandem aliquando de versionibus antiquis oraculi celeberrimi satis dictum esto; modo summatim complecti liceat, quae nobis tota hac disputatio-

ne effecisse videmur. Apparuisse nempe arbitramur, inter veteres versiones, quotquot earum sunt, tum iudaicas tum christianas, excepta una Vulgata, sed aperte ista falsa ac pluribus nominibus reprehendenda, nullam inveniri, quae verba hebraea de mortuorum resuscitatione acciperet, imo si qua est antiquitatis auctoritas, eam totam cum iis facere, qui spem fovisse Iobum statuant, fore, ut miseriis, quibus oppressus iaceret, liberatus, ad pristinam conditionem felicem Dei ope restituatur.

§. 7.

Ex illis igitur versionibus *patres antiquae ecclesiae*, quorum pauci hebraicam linguam bene didicerant, sententias suas de nostri dicti sensu conceperunt, idque diverso, ut cuiusque ingenium ac consilium ferebat, modo explicaverunt et in usum suum converterunt. Tum enim temporis immensa quaedam libertas, quidquid placeret, expiscandi e divinis libris, magisque horum effata ad suas transferendi opiniones, quam has ex illorum auctoritate informandi, et graecae et latinae ecclesiae doctoribus concessa, neque a multis repudiata est. Qua quidem in re ipsos Apostolos, ut Henkius bene observavit, antecessores habebant, quos dicta veterum prophetarum persaepe ad rem, quam tractabant, illustrandam et exornandam, non laudabili ubique modo admoventes, sinistre imitabantur, dum novum robur suis sententiis ex Veteris Testamenti auctoritate conciliaturi, eius dicta nonnunquam obtorto collo in causam suam trahebant. Hinc orta illa est libros sacros interpretandi ratio popularis et dogmatica potius, quam erudita et grammatica, quae labente tempore maiora incrementa capiebat, quum scriptis quibusdam frequentata, atque una cum fidei

regula tradita posteris, usu et auctoritate maiorum ita obtineret, ut multorum codicis sacri oraculorum sancita quaedam ac publica esset explicatio, quam nemo facile propter consuetudinem aut haereseos crimen desereret vel diligentius examinaret. Qua ex re intelligetur, patrum ecclesiasticorum minoris momenti esse, quam quae in antiquis versionibus contineantur interpretationes, quoniam harum auctores ex ipso textu originali hauriebant, sensumque, quem constituerat remotior et a praeconceptis opinionibus adhuc liberior antiquitas, reddebant, illi autem, singulari oscitantia nonnunquam diversa loca miscentes (vid. Henk. l. c. p. p. 30), ex versionibus talem elicere studebant sententiam, qualem aut ecclesia praescribebat, aut singulorum quorumque consilium postulabat. Ac ne eos quidem, penes quos esset accuratior hebraici sermonis notitia a dogmaticis rationibus prorsus immunes servavisse interpretationes suas, testatur ipsius Hieronymi triste illud exemplum. Quapropter breviter nobilissimorum inter ecclesiasticos patres de nostro loco sententias, quas Henkius l. c. copiose ac docte exposuit, aliquoties ipsis eius verbis commemoravisse sufficiat. Primus autem eius interpretationis auctor, qua Iobi verba de resurrectione accipiuntur, est venerandae antiquitatis scriptor, Apostolorum aequalis et discipulus, Clemens Romanus, qui in epistola prima ad Corinthios ed. Iunii p. 35. 36. inter testimonia pro isto dogmate Iobi quoque dictum affert: „Καὶ πάλιν Ἰὼβ λέγει· καὶ ἀναστήσεις τὴν σάρκα μου ταύτην.“ Sed ut omnino incertae fidei est Clementis testimonium, cuius scripta varias corruptiones passa esse constat: ita in hunc locum prae ceteris suspicio cadit, verba ex Iobo citata seriori tempore adiecta esse. Namque perquam probabiliter Mansius (*Con-*

cilior. collect. T. I. p. 246) ac TELLERUS (*Fides dogm. de resurr. carn.* p. 117), quibus etiam HENKIUS l. c. p. 26. adstipulatur, contenderunt, TERTULLIANUM *de resurrect.* c. 12. 13. istum CLEMENTIS locum imitatum esse; ibi vero quum exempla a CLEMENTE, ex dierum ortu et occasu, e frugum consumtione et reditu, ex ave Phoenicis ctr., desumta, TERTULLIANUS repeteret quidem ad unum omnia, ista autem Iobi verba sileret, profecto suspicio non abest, quin sua aetate nondum in CLEMENTIS epistola invenia, et forsan RUFINI tempore, ut HENKIUS l. c. p. 34. suspicatus est, aliena manu addita sint. Ceterum idem hic recte monuit, omnino neminem facile futurum, qui magni ponderis hanc CLEMENTIS, quamquam apostolici patris, auctoritatem esse arbitretur, quandoquidem rudis aliqua simplicitas, a profundiori doctrina remota, e tota illa epistola elucet, ac cetera loca, quae una cum Iobi isto laudantur, Ps. 28, 7. 3, 5., de quacunque alia re aeque bene, quam de resurrectione agere putantur. Accedit, quod aetate CLEMENTI proxima, nemo eorum, qui doctrinam de resurrectione mortuorum vel ex instituto tractarunt, ut IUSTINUS Martyr, ATHENAGORAS, TERTULLIANUS, vel eam in apologiis aliisque scriptis exposuerunt, ut praeter illos IRENAEUS, THEOPHILUS Antiochenus, TATIANUS, CYPRIANUS, etsi multa V. T. loca intempestive satis coacervarent, testimonium Iobi excitavit. In quibus prae ceteris silentium TERTULLIANI notatu dignum est, qui quum resurrectionem futuram prophetarum eloquiis comprobaturus esset (*De resurrect. carn.* cap. 19 — 31), quid ad rem suam aptius habuisset, quam Iobi testimonium, si suo tempore iam in usu fuisset doctoribus, illud vel proprie vel allegorice de carnis resurrectione inter-

pretari? Sed abstinuit prorsus ab eius usu, si quidem neminis assensum feret PAMELIUS, dum in annotat. 166 ad l. c. *die retributionis*, quem dixit TERTULLIANUS, nostrum oraculum allegatum inconsideratius scribebat.

Deinde ORIGENES in nostrum locum incidit, dum ad Matth. 22, 23 ss. (ed. HUET. p. 486) de duplici, quae statui possit, resurrectione agebat, altera, quam, ecclesiae probatam, breviter carnis resurrectionem (*τὴν ἐν τῇ συνηθείᾳ τῶν ἁπλουστέρων ὀνομαζομένην ἀνάστασιν σαρκὸς*) appellavit, altera, qua animae post mortem vivere, nec tamen pristinum suum corpus resumere, sed aetherium aliud ac melius induere putabantur. (*Ζώσης τῆς ψυχῆς, οὐκ ἐκεῖνο μὲν ἀπολαμβανούσης τὸ σῶμα, ἐνδυομένης δὲ αἰθέριόν τι καὶ κρεῖττον.*) Posterioris, aperte suae sententiae patrocinium in se suscipiens, eam qui sequerentur, ab isto opprobrio 1 Cor. 15, 19. 32., quod infelicissimi sint, qui resurrectionem negarent, et terrestribus libidinibus abrepti homines, liberos manere affirmat. Tum vero, ne quid contra ecclesiam deliquisse dicatur, addit: „*Οὐ ταῦτα δέ φαμεν ἀπιστοῦντες τῷ ἐν Ἠσαΐᾳ γεγραμμένῳ τοῦτον τὸν τρόπον· ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ, ἢ τῷ ὑπὸ τοῦ Ἰὼβ λεγομένῳ ὅτι ἀενναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα.*“ At si eo sensu ut vulgus ORIGENES censuisset, Iobum confiteri, suam pellem, quae pertulisset ista mala, a Deo restitutum iri, eodem hoc dicto, quo insecuti temporis doctores communem formulam loquendi de resurrectione carnis adversus eum defenderent, ipse sua commenta redarguisset et in viscera sua saeviisset. Quod quum ab ingenio tam solertis viri abhorreat, statuendum potius videtur, aut commu-

nem cum libris plurimis Origenis sortem hunc locum subiisse atque apposito illo Iobi oraculo aliena manu ampliatum esse, aut magis in verbis, quam in re ipsa cum ecclesia consensisse Origenem, qui, longius in hoc dogmate ab ea aberrans, allegoricae cuiusdam interpretationis refugium, quale monstravit Henkius, sibi reservaret. Sed utcunque tandem Origenes de Iobi dicto iudicavit, id certo ex eius verbis intelligitur, illo iam coepisse ecclesiam tempore, hoc in classicis pro futura resurrectione mortuorum habere.

Omnium callidissime in nostra re versatus est Cyrillus Hierosolymitanus, quem Henkius probabiliorem doctrinae ecclesiasticae, quam sacrae scripturae, ab eo secundum graecam versionem lectae, interpretem nuncupavit. Is quidem de illa parte symboli, in qua profitebantur carnis resurrectionem, disserens (*Catecheſ.* XVIII. segm. 14—20), multus in eo, ut etiam V. T. testimoniis illam confirmet, invehitur in quosdam, qui non crederent, prophetas hac de re quidquam tradidisse, dum contendit, male intelligi, si quae dicta scripturae non videantur cum dogmate resurrectionis convenire. Huc refert praeter alia Iob. 7, 9. ἐὰν ἄνθρωπος καταβῇ εἰς ᾅδην, οὐκ ἔτι μὴ ἀναβῇ, quibus callidissime praecipit statim sequentia adiungenda esse: οὐδ' οὐ μὴ ἐπιστρέψῃ εἰς τὸν ἴδιον οἶκον; deinde Iob. 14, 7. ss., ubi ut tollatur, quod duri inest dicto v. 10. ἀνὴρ τελευτήσας ᾤχετο, πεσὼν δὲ βροτὸς οὐκ ἔτι ἐστί, per interrogationem explicare iubet: *quid? si lignum reviviscit, homo, cuius gratia lignum factum est, perierit?* Denique excitat illud nostrum Iob. 19, 26., adiunctis tribus aliis V. T. testimoniis, in hac causa solennibus. Socios nactus est Cyrillus antiquo tempore Ambrosium (*in Pſ.* 118. *serm.*

10. p. 667), Epiphanium (Ancorat. segm. 89—103. p. 88. ss. Opp. To. II. ed. Petav.) et Rufinum (*Expos. symb.* in Opp. Cyprian. p. 399 ed. Rigalt.), nec recenti memoria sectatores ei defuerunt. — Quo magis autem invalescebat in ecclesia decretum illud, et ad expellendam Origenianam haeresin etiam symbolis ecclesiasticis promulgabatur, nos in eadem hac carne resurrecturos esse, eo frequentius nostro loco uti solebant ecclesiae latinae potissimum doctores. Antiquissimum, quod istam professionem continet, symbolum est Aquileiense, tum primum et secundum, quod Damaso plerumque adscribitur, deinde Pelagii, denique Iuliani. Vid. Walchii *Bibliothec. symb. vet.* p. 37, 173. 175. 195. 201. Quod ceteros omnes etiam hic ut alibi incredibili audacia superavit Hieronymus, non quidem magnopere mirabitur, qui istum „haereticis nunquam pepercisse et hostes ecclesiae suos quoque hostes" dicere meminerit; sed novo tamen hic locus documento est pravae illius indolis, quam gravi et eleganti sermone adumbravit Baumgarten - Crusius (*Lehrbuch der christl. Dogmengesch.* Part. I. p. 311), quum quantum dederit odio adversus liberaliores interpretes, qua inaudita mentis levitate, quantoque ecclesiasticorum dogmatum studio fuerit is, qui ipsum textum sacrae scripturae malo dolo et impudica fronte depravare auderet, hinc eluceat. Nihilo secius latinorum scriptorum, qui postea floruerunt, totum vulgus in suas partes traxit. Ipse Augustinus quamquam in *Annotatt. in Iob.* Opp. To. III. p. 379 iis favere videtur, qui de reparanda valetudine et fortuna sua Iobum loqui autumant, tamen *De civitat. Dei, lib. XXII. cap.* 29. *p.* 526 totus cum Hieronymo facit, cuius vestigiis etiam pressius eius discipulus Philippus Pres-

byter *Expos. Iob.* l. c. instituit. Tali modo actum erat in ecclesia latina de quacunque alia interpretatione, quum nemo unquam adversus decreta tantorum virorum hiscere auderet, et ipsa *glossa communis*, per tristia superstitionis et ignorantiae saecula usque ad *Lutherum* fere unicum interpretandi sacri codicis praesidium, ex eorundem commentariis conflata esset.

Tanto majorem laetitiam concitat, quod circa idem tempus in graeca ecclesia optimis quibusque sacrarum litterarum interpretibus longe aliter de nostro loco visum est. Chrysostomus enim, summus vir, quamquam non damnavit istam loquendi formulam, Origenianis oppositam, tamen nullam Iobo immortalitatis et resurrectionis spem tribuit, neque ullum eius vestigium in libro agnovit. Nam scripsit, ut duos modo ex multis istis, quos Henkius l. c. p. 39 et Nicetae Catena *in Iobum* attulerunt, locis commemoremus, in *Epist. II. ad Olympiad. diaconiss.* Opp. To. IV. p. 622. ed. Francof.: „οὗτος δὲ (Ἰὼβ) δίκαιος ὢν καὶ περὶ ἀναστάσεως ἐπιστάμενος οὐδὲν, ταύτῃ μάλιστα ἐκλυδωνίζετο, οὐκ εἰδὼς τὴν αἰτίαν, ὧν ἔπασχε," et ad Iob. 7, 8. (Nicet. Caten. p. 187) *hinc patere, Iobum nihil certi* περὶ τῆς ἀναστάσεως καὶ περὶ τοῦ μυστηρίου τῆς ἐκ νεκρῶν παλιγγενεσίας *scivisse, quia fateatur* τὸν ἀποθανόντα ἀναστῆναι οὐχ οἷόν τε. Itaque ecclesiasticae doctrinae etiamsi id daret, ut in Iob. 19, 26. commentans, exponeret quoque (si modo haec ipse scripsit) eorum opinionem, qui de resurrectione hic agi existimarent, non tamen dubitari potest, quin ipsius sententiam contineant haec bene monita: τοῦ νόσου ἐκλύσας, τουτέστιν ἐλευθερώσας, πάλιν ἀνακαινίσει τὸ δέρμα μου τὸ τοῖς ἰχῶρσι διαφθαρέν· αὐτὸς γὰρ ἀλγεῖν ποιεῖ, καὶ πάλιν

ἀποκαθίστησιν, ἀποκτείνει καὶ ζωοποιεῖ. — Aliorum commentariorum in Iobum quae in CATENA supersunt fragmenta, plerosque aequalium et posterorum consentientes secum habuisse CHRYSOSTOMUM declarant. Sic DIDYMUS, catecheta Alexandrinus, oculis quidem a pueris caecus, sed ingenio perquam acutus ac nobilis bibliorum interpres, ad Iob. 7, 9. exponit, ut plerique ceterorum interpretum, adversariorum sententias, ipse autem ignotum Iobo fuisse resurrectionis dogma iudicat, ut idem POLYCHRONIUS, frater THEODORI Mopsuesteni et seriori tempore OLYMPIODORUS, l. c. ad Iob. 14, 13. censuere. Neque in hac re a CHRYSOSTOMO recedebant, qui in ceteris discipuli et imitatores eius clarissimi fuerunt, ISIDORUS Pelusiota et THEODORETUS, quorum posterior, oblata saepe occasione, Iobi loco pro resurrectione mortuorum uti noluit. Postea autem inter Graecos non amplius oraculum nostrum aliter, quam a CHRYSOSTOMO factum erat, exponebatur, neque unquam, quum IOANNES Damascenus ad probandam e S. S. resurrectionem multis quidem aliis dictis, Ezechielis etiam et Danielis uteretur (*De orthod. fid.* lib. IV. c. 18.), Iobi autem locum reticeret, et THEOPHYLACTUS nec non OECUMENIUS sacrae scripturae interpretationem totam ad unius CHRYSOSTOMI exemplum componerent, classici testimonii auctoritatem apud graecae ecclesiae theologos recuperavisse videtur.

Hanc igitur brevem historiam variarum interpretationum, quas in antiqua ecclesia celeberrimum Iobi dictum passum est, animo consideranti mihi visum forte est, repraesentatam spectare immensi illius certaminis, quod hierarchia ecclesiastica contra christianam libertatem gessit, pusillam imaginem. Quae enim lento, sed certo et per saecula sibi con-

stanti gressu ad summum istud potentissimi imperii fastigium processit ecclesiastica potestas, ea fidei quoque christianae certos fines ac regulas symbolis suis scripsit, quas quidem regulas ipsas sancita aliqua omnibusque approbanda explicatione sacrae scripturae universae vel singulorum effatorum confirmare studuit. Atque in nostro loco felici successu destituta non est. Hic enim quamquam videmus, fere neminem, quamdiu Christiani uterentur pristina sua libertate, symbolorum auctoritati non adstricta, inter eos ut apud Iudaeos inveniri, qui haec verba ad resurrectionem carnis referret, tamen in eam sententiam flecti coeperunt doctorum animi quum conciliis et symbolis certius definiretur illud dogma, ita ut denique latini omnes velut uno ore eandem ac malis artibus defenderent, dum inter graecos optimi quique sincero ac forti animo contrariae propugnabant. Illos igitur quum appareat ecclesiae potentia ad suam opinionem adactos, hos autem ne ista quidem ab ea sententia esse deterritos, quae, antiquioribus tantum non omnibus probata, ab Iobo restitutionem bonorum amissorum exspectatam statueret; nihil attinet, utram partem adiuvet antiquitatis auctoritas, pluribus exponere.

§. 8.

Sed nunc desinat tandem proletariorum militum anceps certamen, a telis venitor ad gladium, castello aries admovetor! Atque ut prudentis imperatoris est, providere, quo possit opportunissimo loco hostes adoriri, ita etiam nos de eo cogitavimus, qua via et quibus adminiculis in sensum nostri loci certissime penetraturi essemus. Hujus autem ea est natura, ut describendis iis, quae de futura omnium hominum imprimisque Iobi sorte in

libro exponantur, et fine totius libri bene cognito, invenienda vera ejus sententia magnopere adjuvetur. Quae igitur ab utraque parte commendetur nostri dicti expositio, eam, ubi contextui non adversatur et pro verborum singulorum notione ac constructione ferri potest, nec non aliorum locorum similibus sententiis commendatur, nemo dubitabit nobiscum unice veram nuncupare. Ac de mortalium suprema sorte leguntur in Iobo prorsus eadem, quae in ceteris plerisque libris antiqui foederis traduntur; nempe omnes homines denique cogi in triste illud, horridum et caliginosum (10, 22.) mortuorum receptaculum, שְׁאוֹל, ubi remoti ab huius vitae deliciis et laboribus, sine honorum ac potentiae discrimine (3, 13—18.), alto et aeterno sopore obruti (14, 12.) promiscue cubent, ab omni in aliquam vitam reditu seclusi. Posterius hoc quamquam plura loca aperte edisserunt, tamen interpretes nonnulli inde ab antiquo tempore praefracto animo negavere. Itaque videamus de verbis ipsis et artificiosis sententiarum, quas illi aversantur, removendarum conaminibus. Dolorum gravitate subactus nec habens, unde levamen speret, Iobus cap. 7, 6—9. Deum obtestatur: „Dies mei citius radio textorio fugiunt, absumuntur sine spe. Memento halitum esse vitam meam, neque oculos meos rursus bonum esse visuros; non me spectabit oculus, qui me videt, cum ad me converteris oculos tuos, equidem nullus. Consumitur nubes et perit, sic qui ad inferos descendit, non surget.“ Hinc jam Rabbini ac nonnulli inter Patres bene contenderunt, spem resurrectionis ab Iobo ignoratam fuisse; alii vero, ut Mercerus, praeeunte Cyrillo, postremis verbis connectenda esse voluerunt proxime sequentia v. 10: „non revertetur ultra ad domum suam,“ ne Iobus

resurrectionem sustulisse, sed reditum tantum in hanc vitam et ad consueta munia, nemini a natura concessum, negavisse putetur. 'Αλλ' αὕτη μὲν, scripsit de hac re Didymus (Nicet. Cat. p. 187.), ἡ ἑρμηνεία πιθανὴ, ἀληθεςτέρα δὲ ἡ προτέρα; nimirum in hanc posteriorem liberae a praeconcepta opinione mentis interpres sua sponte non incideret explicationem, quae tum demum approbanda esset, quum alius exstaret nostri libri locus, in quo disertis verbis priori illi contraria sententia proposita, nec vers. 7. dictum esset, quod cum felicioris vitae spe conciliari nullo modo potest, boni omninò nihil homines post obitum suum manere. — Infelicius etiam, quoniam verba luculentius contrarium tuentur, versati sunt resurrectionis ab Iobo traditae patroni in cap. 14, 7—14., ubi petit vir pius a Deo, ut affligere disinat hominem, „quia spes est arbori, si abscindatur, ut iterum germinet, nec surculi eius deficiant. Si senuerit quoque in terra radix eius, et truncus humi mortuus videatur, tamen ex aquarum odore repullulat, ramosque protrudit ad instar plantatae. Homo autem morte debilitatus et exstinctus ubi est? Diffluunt aquae ex stagnis, fluvius exsiccatus arescit; sic homo cubat nec resurget, donec coelum non sit, non expergefiet, et e somno suo non excitabitur. — Utinam me in Orco abderes, meque occultares, donec ira tua recederet, et terminum mihi poneres tum vero mei sis recordaturus. — Sed num homo mortuus vivet? Per omnes dies vitae meae miserae exspectarem, donec veniret illa mutatio mea.“ — Interpretes, qui Iobo notitiam vitae melioris post mortem et resurrectionis ex sepulcro tribuunt, valde laborant in concilianda hac pericopa usque ad finem capitis cum illa sua hypothesi. Verba enim eius

tam clare docent, Iobum nullam vitae futurae cognitionem habuisse, ut non nisi perquam coacte in contrarium sensum detorqueri possent. Nihilo secius bifariam id assequi studuerunt. Alii cum Cyrillo (vid. Henk. l. c. p. 28.) per interrogationem illud dictum explicare iubent: „quid? si lignum reviviscit, homo, cuius gratia lignum factum est, perierit?“ quod Rufinus *Expos. symb.* in Opp. Cyprian. p. 399, ed. Rigalt. copiose commentatus: „Non tibi, inquit, videtur in his cum quodam pudore arguere homines, et dicere: Itane stultum est hominum genus, ut, cum videant arboris excissae truncum iterum pullulare, et lignum emortuum iterum vitam recipere, ipsi nec lignis simile aliquid de semet ipsis, nec arboribus opinentur? Ut autem scias, quod velut interrogantis modo legendum sit: Mortalis, quum ceciderit, non resurget? de consequentibus probat; subiungit namque statim: Si autem mortuus fuerit homo, vivet.“ At hanc parum idoneam esse probationem, neminem praeterit, qui particulam interrogativam in verbo הֲיִחְיֶה, qua id ipsum negatur, quod Rufinus affirmatum voluit, ab eo prorsus omissam viderit *). Deinde pro consilio Iobi, hortandi Deum, ut brevissimo vitae tempore frui hominem sineret, vix quidquam ineptius cogitari possit, quam hominem post mortem resurrecturum esse, verbose explicare; itaque omnem istam sententiam, quam ex verbis interrogative sumtis eliciant, aperte cum filo orationis (v. 1—6.) pugnare ipse Mercerus ad h. l. concessit. Cautius nec tamen probabilius statuerunt alii, quibus Mercerus et Rosenmuellerus (*Schol.* ad h. l.) annumerandi sunt, Iobum dum resti-

*) Quid statuendum esset de omisso in nonnullis editionibus LXX. He interrogativo, docuit Eichhornius *Allgem. Biblioth. d. bibl. Litter.* To. I. p. 386.

tutionem vitae homini neget, intelligere solam huius terrestris vitae, unde tamen haud colligere sit, eum nullam vitae, hac terrestri praestantioris restitutionem credidisse, demum post praesentis rerum humanarum ordinis interitum exspectandam. Non quidem diffitendum est, in hoc loco defunctorum hominum ad hanc terrestrem vitam reditum, praecipue in versu 13. negari; attamen quominus omnia ad unum illum restringas, prohibent et verba, si accipiuntur, ut sonant, nec supplentur sine causa, quibus nihil opus est, et comparationes imaginumque potestas, et sententiarum nexus et plura alia, deinceps indicanda. Sic ubi quaestionis v. 10.: „*quando exspiravit homo, ubinam est?*“ is, quem illi eliciunt, sensus statuitur, mortuum hominem nusquam in hac terrestri vita amplius deprehendi, non solum ille admodum frigidus, sed etiam id, in quo rei cardo vertitur, praeter textum cogitando supplendum est. Contra, si accipis ut leguntur verba, iis generalius quid inest, nempe nusquam qui exspiraverit amplius versari, itaque in nihilum redactum, existere desiisse; quod non putabis Orci notioni repugnare, in quem deducti tamen pergerent esse, quum memineris, ibi modo species quasdam hominum, vanis umbris similes, vi vitali, corporis et animi humani dotibus destitutas existere. Item quae v. 11. de fluviis perpetua siccitate exstinctis leguntur, non tam consumtionem eorum sine reditu — vere enim reapse redeunt — quam talem exstinctionem significant, qua tum quum omnis humor ablatus est, funditus arefacti, fluvii esse desierunt (cf. Umbreit ad h. l.). Homo igitur, qui tali modo morte confectus dicitur, non solum nunquam in hanc terram rediturus, sed prorsus exstinctus et omni existentia privatus est censendus. — Omnium

autem clarissimus est versus 12., ubi quum affirmetur, hominem mortuum cubare, neque ullo unquam tempore (coelos quippe aeternae stabilitatis rebantur Ps. 89, 30. 37. 38.) ex gravi sopore suscitatum fore, vix perspicitur, quo tandem modo excusare se possint, qui iterum sua solum auctoritate ad לֹא יָקוּם suppleant: *in hanc terram*, eo quidem consilio, ut nil nisi defunctorum in hanc terrestrem vitam reditum negari contendant, licet textus omnem in universum resurrectionem luculentissime perneget. Eodem isto supplemento opus illis est, ut versus 13. 14. ad suam sententiam flectant. Ibi si post certum quoddam tempus (חֹק) in Orco peractum homini fuisset spes data, vitam recuperandi, eo se lubenti animo descensurum esse, Iobus profitetur. Tum vero lamentans adiicit: אִם יָמוּת גֶּבֶר הֲיִחְיֶה. Quae si audiuntur, ut sonant, non solum terrestris vitae recuperationem mortuis denegant, sed eos omni vita privatos manere affirmant, quod ei, cui fuisset de resurrectione persuasum, dicere fas profecto non fuisset. „*Wie könnte der den Tod so hoffnungsleer beschreiben, der hinter der Nacht des Todes ein neues Leben in einer bessern Welt vor Augen hätte?*“ Eichhorn l. infra laudat. Sic igitur accuratior nec capta mente instituta verborum consideratio, praesertim quum addantur, quae v. 18. 19. leguntur de spe hominum, in sempiternum evanescente, comprobare videtur, quod Eichhornius (*Allgem. Bibl. d. bibl. Litterat.* Vol. I. p. 385. *Hiob's Hoffnung.*) scripsit: „*Was kann deutlicher seyn? — Sind irgend Klagen über Dunkelheit ungerecht, so sind sie es hier; und nur die Voraussetzung, dass Hiob in dieser Stelle von einem bessern Leben reden m ü s s e, kann den Text erst dunkel machen.*“

Denique si cognitam habuisset Iobus resurrectionem mortuorum, sed pio nexu et scopo orationis suae certe hoc loco celare debuisset, censendus esset male suae rei consuluisse instituta illa arboris, quamquam paene exscissae vel emortuae, tamen repullulantis, cum homine, nunquam in hanc vitam redituro, comparatione, ad declarandam dissimilem utriusque fortunam: namque, ut Mercerus vidit acute, licet nihilo minus in sententia sua persisteret, ipsae illae arbores, sub hiemem marcidae, verno autem tempore fruticescentes, commodissimam imaginem ad contrarium i. e. resurrectionem mortuorum ostendendam suppeditabant. Hinc quod potuisset vel confutandi vel consolandi Iobi gratia duci gravissimum argumentum, ipse iis, qui amicorum et adversariorum partes agerent, tanquam manu monstravisset; sed, quod mireris, ne sic quidem provocati ullus eo utitur, aut hanc spem eripere, si vanam iudicasset, suscipit. Tam igitur multa sunt, quae aperte loquantur vel potius clamitent, hic loci non de negato hominibus in hanc vitam reditu agi, sed deplorari mortalium etiam infeliciorem quam arborum sortem; quum his spes unquam reviviscendi relicta, illis vero prorsus erepta sit. — Quae si sunt commode ad persuadendum disputata, ea jam non indigent copiosiori explicatione; quae tristissimam istam persuasionem, omnia simul morte deleri, simili modo exprimunt cap. 17, 13—16. „Si sperem, Orcus domus mea erit, in tenebris stravi lectum meum; putredini dixi, tu es pater meus, mater mea et soror mea vermibus. Ubi est igitur spes mea? spem meam quis conspiciet? Ad solitudines Orci descendet, quando una in pulvere conquiescemus.“ Haec et quae alia addi possunt (vid. Eichh. l. c.) loca et ipsa spem im-

mortalitatis Iobo nullam fuisse declarant, et novum inde robur capiunt, quod quotiescunque ad futura tendunt cogitationes vel ipsius Iobi vel suorum amicorum, eae nunquam ultra huius vitae limites progrediuntur. Sic et praemiis, pios homines manentibus, et poenis, improbis minantibus, non nisi ea accensentur, quae in hanc terrestrem vitam cadunt. Docuisse enim, saepius affirmatur, veterum aequaliumque experientiam, impios ac scelestos viros miseriis laborare quam maxime variis 18, 5—21. 20, 22. ss., doloribus ac sollicitudine exagitari 15, 20. ss., mala, quibus alios affecissent, ipsis rependi 4, 8., eorum domos destrui 5, 3. 15, 28., messem a famelicis devorari 5, 5., consilia versute ac callide suscepta optato fine non potiri 5, 12—14., res eorum quantumvis aliquamdiu floreant 5, 3., denique tamen repenti ac violento casu abripi 8, 13—18. 27, 16—19., et ipsos praematura morte una cum posteris auferri 4, 9. 10. 20, 5—9. 15, 32—34; aut patris ruinam mox sequi filiorum cladem 5, 4. 27, 13—23. Contra honestis ac probis hominibus spes datur, fore, ut tuti sint a variis, quae accidere mortalibus solent, calamitatibus, ab hostium incursionibus et aperta vi, a fame, ferarum impetu, agrorum depopulatione, calumniatorum obtrectationibus, ut omnia domi incolumia ac prospera sint, et ipsi, numerosa filiorum nepotumque sobole adaucta, sero demum post longam senectutem, feliciter peractam, diem suum obeant 5, 19—26. Alia loca praecipue perpetuitatem laetioris fortunae spondent 4, 7., aut si quando propter hominum vitia deficeret, mutata mente secuturam esse restitutionem in pristinam et ampliorem etiam felicitatem 8, 6. 7. 21. 22. 11, 14—20. Haec fere sunt, in quibus saepe ac vario modo, or-

nate eleganterque repetitis, se continent, quae de futura hominum aut laeta aut tristi sorte in libro exponuntur, et ultra quae nusquam proceditur. Quibus si addis, non aliam novisse auctorem iustitiae divinae probationem, quam ex interitu, in quem ruere sinat ipsos, qui peccavissent 8, 3. 4. petitam, neque quod sibi videbatur Iobus cognovisse, nempe Deum, nulla ratione habita vitae aut bene aut male anteactae, pro lubitu probos et improbos promiscue malis afficere 9, 22., id aliter potuisse quam summa Dei potentia excusare 9, 5., aut liberrimis querelis deplorare: profecto vix intelliges, quo fieri potuerit modo, ut nonnulli in ea sententia, cognitam fuisse Iobo doctrinam de animorum immortalitate vel corporum resurrectione, usque ad hodiernum diem perstarent nec potius cum Eichhornio l. c. p. 368 profiterentur: *„In dem ersten Dichter-Philosophen, den wir übrig haben, dem vortrefflichen Verfasser des Hiob, ist's noch um alle Gräber traurig und düster; sie verschliessen mit dem Menschen, den sie decken, alle Hoffnungen, und auf die Nacht des Todes folgt kein heitrer Morgen eines andern Lebens.“*

§. 9.

Quae igitur hucusque exposita sunt admodum clare quidem demonstrant, Iobum vel quod rectius dicitur carminis, illo nomine inscripti, auctorem caruisse fiducia in altera vita reposita; tamen ne quid dubii nihilominus nonnullis relictum aut quod ad rem attineat praetermissum videatur, denique argumentum ac finis libri breviter consideretur, ex quo hoc carmen componi ab eo non potuisse, qui resurrectionis ac melioris vitae spem animo conce-

pisset, cognoscetur. Ac de consilio et fine, quo auctor librum suum conscripsit, inde ab antiquo tempore judicia varia fuerunt, sed nostra aetate plurimi inter viros doctos ac recte in eo convenimt *), quod ei propositum fuisse arbitrantur, ut doctrinam illam, a prophetis traditam ac vetustioribus Hebraeis acceptam, seriori autem tempore experientia vel labefactatam vel eversam, nempe iusta lance unicuique pro meritis suis iam in hac vita rependi, ab iniustitiae opprobrio defenderet, novis rationibus stabiliret, et supra omnes hominum quaestiones extolleret, dum docebat, Deum infinitis partibus maiorem, sapientiorem ac iustiorem esse, quam ut mortales, quibus patienter ferenda sint, quantiscunque malis afficiantur, consiliorum divinorum rationes investigare ac capere possint. At haec quae tandem est ratiocinatio, aut vera propositae quaestionis explicatio! Nonne sic potius gladio scinditur, quam arte ac ratione solvitur nodus? Num ad eiusmodi ambages refugere, quaeque cum iustitiae legibus in hominum fatis pugnare videbantur ad abditam quandam Dei sapientiam revocare eum oportuit, cui persuasio de resurrectione mortuorum ac meliori vita longe certiorem rationem, obscura ac recondita explicandi, pugnantia ac dissona inter se conciliandi, et multo laetius mortalibus solamen praeberet? Huic num cogitari potest in mentem venisse, peculiari scripto approbare et commendare doctrinam, non modo com-

*) Nonnulli quidem haud ignobiles scriptores, ut Eichhornius l. c. p. 377., Dathius (Iob. latin. vers. p. 64.), Bernstenius in Commentat. super hoc libro (Analekt. Vol. I. P. 3.) aliter de fine libri iudicaverunt, sed longius nec huius loci foret de his singulis exponere.

muni hominum experientia confutatam, sed quae iam in hac terra suum quemque praemium ferre affirmans, contrarium eius doctrinae, quam auctor libri suam fecerat, praecipiebat, qua iusta unicuique merces ab altera, resurrectionem secutura vita exspectanda fuisset, quaeque quum conciliari cum hac nullo pacto posset, potius ad eam ipsam immutandam corrigendamque, quam comprobandam adduxisset. Quemadmodum igitur loci, supra singulatim percensiti, non probabile esse ostenderunt, auctorem libri novisse doctrinam de mortuis resuscitandis, eiusque usquam mentionem fecisse: ita nunc finem, quem in pangendo carmine suo propositum habuerit, talem fuisse apparet, qualem pro ista doctrina, si tenuisset, eligere sibi non potuerit, itaque fieri non potuisse, ut in ullo libri loco resurrectio mortuorum commemoraretur *). — Atque haec illa sunt, quae effatum Iobi cap. 19, 25—27, cuius intima est cum toto argumento libri coniunctio, ad aliam quamcunque sententiam praeter resurrectionem carnis referri, non permittunt, sed iubent.

At vero tot et tam gravibus rationibus quae

*) „*Daher ist es ein, wenn auch wohlgemeintes, doch verkehrtes Bemühen, besonders der älteren Theologen, wodurch sie den Kern unsres Buches vernichten, dem Hiob den Glauben an eine Vergeltung nach dem Tode anzudemonstriren.*" Umbreit l. c. Praef. p. XIV. Haec et quae a nobis in eam rem disputata sunt, si recte habent, commonstrant, neutiquam Iobum ad sapientiores istos philosophos orientales referendum esse, de quibus *Sylv. de Sacy* apud Kosegartenium l. c. p. 19 scripsit: „*On auroit moins disputé sur ce passage, si on avoit fait réflexion, que l'opinion de la résurrection des corps pouvoit être celle de quelques philosophes Orientaux, sans pour cela être admise generalement.*"

hucusque comprobata esse sententia videbatur, eam totam una observatione profligare, contrariamque evincere visus sibi est Voigtlaender in *Isagoge ad interpretationem Iobi, cap. XIX*, 25—27., quem antecesserat Michaelis (*Uberior. Annotatt.* in Iob. p. 254) ac secutus est Rosenmuellerus. Scilicet e locis 3, 20—26. 6, 8—12. 7, 13—16. 9, 21. 13, 15. 17, 13. ss. 21, 25. 30, 23. elucere quum videret, „Iobum mortem a se ardenter exoptatam certissime exspectasse et nihil prorsus habuisse, quod huic vitae speraret, sibi temperare non potuit, quin falsissimam pronunciaret eorum opinionem, qui Iobum nostro quidem loco cogitantem loquentemque inducant ac si quandam sui, dum viveret, in integrum restitutionem certo certius exspectasset.“ Ac neminem quidem ille vir doctus confidit „eo audaciae progressurum esse, ut nostro loco illam spem inferat, quae vix dici possit, quantum a Iobo abhorruerit;“ sed magnopere falsus est; nihil enim nosmet ipsos pudet, in audacissimorum illorum hominum pedibus ire opinionem. Ipsa quippe sententia illa, unde omnem probandi vim ac pondus suum repetit ratiocinatio Voigtlaenderi, quod malis scriptoribus accidere soleat, ut heroes, quos in scenam producant, parum sibi constent et contradicant, idque tantum abesse, ut in limatissimum Iobeidos auctorem cadat, ut ab hac pessimorum scriptorum labe censendus sit alienissimus, libelli sui πρῶτον ψεῦδος est, quo praeclara affectuum humanorum in Iobo repraesentatio et magnum poetae artificium, quod incerta sperantis et metuentis animi fluctuatione continetur, vel prorsus tollitur vel certe obscuratur. Mire per totum librum variantur herois affectus: timet, optat, sperat, in iisque parum constans affectus vehementia aut malo-

rum suorum consideratione movetur aut impellitur: quae omnia in dolentis et impatienter liberationem exspectantis conditionem egregie cadunt, tamque prudenti arte miscentur et iusto ordine alternant, ut etiam in repentino ac celeri affectuum variorum cursu spectetur personae aequabilis constantia. Quod ne magis verbis quam rationibus affirmatum videatur, adducere iuvat eiusdem Iobi de alia re admodum variantia dicta. Nemini mortalium licere affirmat, cum Deo expostulare, aut iudicio disceptare ad evincendam vitae suae innocentiam 9, 14—24. 32. 33., dolet sibi aditum ad numinis ipsius solium prorsus denegatum ac praeclusum 23, 8. 9., quaerit, quid agat, si surgeret Deus, quid quum inquireret, potentissimo moderatori referat 31, 14: nihilominus in aliis locis cum Deo agere et cum vitae periculo disputationem instituere cupit 13, 13—15., expostulat Deum 14, 15., vociferationibus ei instat 30, 20., a nemine se convictum iri, asseverat 13, 19., quid quod? coram tribunali divino abreptum se putat 14, 3., ubi, licet neminem mortalium iustum declarari professus esset 9, 2. 30. 31., tamen persuasum sibi habet, se absolutum iri, causa victurum et cum laude insontis viri discessurum 23, 3—7. Habes etiam hic commotioris, modo innocentia sua freti, modo desperatione paene fracti animi exemplum et apertum et naturae conveniens, quo uno Voigtlaenderi sententia de constanti, sibique nunquam non aequabili ingenio, quo debuisset heroem instruere auctor, iam satis refelleretur, etiamsi aliae ei non obstarent rationes. Inter eas referas, quod promissiones, Iobo ab amicis omnibus factae, fore, ut supplici oratione Deum precatus, bonis omnibus abundet atque in pristinam et am-

pliorem etiam felicitatem restituatur 5, 15—27. 22, 21—30. 8, 6. 7. 21. 22. 11, 13—20., commonstrant, neque ipsis persuasum fuisse, neque eos Iobo persuasum credidisse, nihil praeter mortem ei amplius boni in hac terra exspectandum esse; unde nobis quoque ius vindicatur, interdum arridentem Iobo spem melioris fortunae de adipiscenda in hac terra felicitate interpretandi. Nec praetermittendae denique sunt frequentiores preces Iobi, ad Deum fusae, ut remitteret manum et a malis liberatum, quantum restet vitae spatium feliciter peragere sineret 10, 20. al., ut disceptaret causam suam inter se et socios suos, antequam moreretur 16, 18 ss.; ex quibus pro Iobi ipsius sententia fieri potuisse patet, ut obitum suum faustior aliqua fortuna antecederet.

Aliud, quod in eandem rem protulerunt argumentum, incidere in tantam animi desperationem non potuisse pium hominem, cui de mortuis resuscitandis persuasum fuisset, nihil probare censuit Kosegartenius l. c. p. 20., quoniam idem posset ei sententiae, qua iam in terris Iobus exspectasset felicem rerum suarum mutationem, opponi. At diversa est utriusque sententiae ratio. Illa enim siquidem Iobo innotuisset persuasio, auctoritate certae alicuius doctrinae sancita, communi sodalium consensu probata, dubitationibus locum nullum reliquit: haec vero quum niteretur persuasione et de vitae suae integritate et de praemio in hac terra probis hominibus parato, quorum utrumque ipse interdum addubitaverat, aliquanto incertior fuit; quapropter non mirandum, quod doloribus vehementissimis in desperationem actus, hinc recessit, quo solum adversariorum, nil nisi perniciem omi-

nantium, furore et criminationibus (vid. cap. 18.) propulsus, confugit. Quippe tali per totum librum auctor heroem induit ingenio, ut si spem facerent amici, ipse desperaret, opem vero sibi latum iri exspectaret, quum illi quidquid boni ei denegarent. Sic apparet, illam quidem doctrinam de mortuorum resurrectione et certius et laetius Iobo solatium praebuisse, quam quod ad tam flebiles modos ac paene impiam desperationem fortem virum delabi sivisset, hanc autem persuasionem, maxime certantium contradictionibus pro singulis momentis oblatam, non eam fuisse, quae dolorum et cruciatuum flagrantissimum ardorem penitus restingueret.

Denique satis speciosa ratio, qua tamen non memini aliquem uti, contra recuperationem bonorum amissorum Iobo in vita superstiti speratam, repeti ex versibus 22—24. posset, nostrum locum proxime antecedentibus. Votum enim illud propter iniquas adversariorum suspiciones et criminationes susceptum, ut verba sua (sine dubio ea, quibus vitae innocentiam et spem eius vindicandae testabatur), in sempiternam memoriam inscriberentur libro vel lapidi insculperentur, facile in eum sensum accipere possis, ut, dum viveret, de recuperanda salute desperans, remotissima demum posteritate vindicem appariturum exspectavisset. Tali modo quanquam non ipsa resurrectio mortuorum ut vindiciarum tempus, hoc tamen post obitum Iobi sisteretur. At sic in textum magis inferuntur, quam ex eo producuntur sententiae. Namque eiusmodi voto locus fuit, etiamsi opem sibi proxime adfuturam crederet; quum, quod docent simillima loca Ies. 8, 1. (cf. ad h. l. Gesen.) 30, 8. Hab. 2, 2. 3. Dan. 12, 4., inscriptionem illam eo solum

consilio exhibitam vellet Iobus, ut repetitas virtutis suae affirmationes ac de Goele exspectationes, eventu comprobatas esse, ut sinceritatem ac fortitudinem animi, qua rem suam gessisset, ut prosperum pietatis suae, patientis quidem sed triumphantis etiam successum, omnes usque ad remotissimam posteritatem hinc possent cognoscere. Itaque tantum abest, ut illud votum pro documento desperantis animi haberi possit, ut eo ipso certissime de explenda exspectatione sua persuasum sibi esse declaret.

Tam igitur parvi momenti sunt, quae ad confirmandam opinionem istam, Iobum post resurrectionem mortuorum demum auspicatiorem sortem exspectavisse, vel vere allata sunt, vel certe afferri potuerunt argumenta: contra, ac sic summam totius disputationis huc usque tractatae paucis complectamur, de instauranda dum viveret in hac terra bonorum omnium copia locum nostrum acceperunt veteres versiones, praeter unam Vulgatam, malae istam fidei, omnes, item interpretes Iudaei unanimi consensu, atque inter patres ecclesiasticos antiquissimi quique et optimi nominis; deinde notiones de morte et Orco, ultra quem Iobus non sapit et in quo omnia simul deleri autumat, ac denique totius libri argumentum, ex ipsa melioris vitae ignorantia petitum, nihil aliud admittentes, liberalioris doctrinae unumquemque cogunt eidem sententiae favere.

§. 10.

Sed quorsum haec disputo? Irrita haec omnia sunt, nisi hebraica dicti nostri verba explicationem ferant, illi sententiae congruentem. Ac talem quidem ferre verba antequam aggredimur demonstrare,

praemonuisse iuvat, nos refugere et per se ipsas confutatas censere interpretationes cum eorum, quibus, ut Michaeli (*Deutsch. Bibelübers.* ad h. l. *Orient. u. exeg. Bibliothek.* To. VIII. p. 184.) et ipsi Ilgenio (*Iobi antiquiss. carm. hebr. natur. atq. virtut.* p. 166. ss.), ad eruendum suum sensum opus est textum mutare, quoniam codices omnes, Kennicotio ac de Rossio testibus, ita sibi similes sunt in nostro loco, ut ovum ovo non possit similius esse, tum eorum, qui rariores vel peregrinas etiam significationes hebraicis vocibus attribuunt, quoniam vulgarium verborum sexcenties in V. T. recurrentes notiones in hoc uno loco sprevisse vel mutavisse auctorem, haud veri simile ducimus.

Singulorum verborum expositio commodissime videtur ab ea voce incipi, quae huic nobili dicto inter viros, harum litterarum peritos, nomen suum dedit. Maxime enim diversarum interpretationum singulas classes sic distinguas, ut id attendas, in quam partem accipiant גֹּאֲלִי. Est autem haec vox a verbo גָּאַל derivata, in cuius et cognatarum radicum primitivam ac communem notionem quamquam magis ad lexicographum attinet inquirere, quam ad interpretem, tamen si modo probabilia proferuntur de radice, quam Schultensius ad Iob. p. 51. dixit „*multa obscuritate circumseptam, dignissimam tamen, quae adhuc illustriori luce perfundatur,*“ non male habebit harum quaestionum amatores, quod nos breviter excurrimus. Annexa est primigenia significatio huius radicis duabus litteris גל, quae gravioris lapidis volvendo (cf. loca, a *Gesen. Thes. ling. hebr. et chald.* s. v. גלל. citata) e loco suo moti ut sonum, ita notionem exhibent. Item apud Graecos: κυλίνδετο

λᾶας ἀναιδής. Atque in hoc duae continentur et *volvendi* גלל, *convolvendi* גלם, *pervolvendi* עגל, زَلَّ, *in orbem agendi* sive *saltandi* et *exultandi*, גול et גיל, جال med. Waw (חול), et *removendi* notiones. Posterior duplici modo concepta est, aut simpliciter, גלה, جلا, جَلِيَ, *retexit*, *emigravit* (proprie terram incolis, ut locum remoto lapide, nudavit), trop. גלה און *aurem retexit* i. e. *revelavit*, جَلَّ *migravit*, *decessit* e domicilio, גלח הזקן *barbam abrasit* *), جلع *removit vestem*, *praeputium a glande*, *labia a dentibus* جَلِعَ, והתגלע, et tropice געל *respuit*, *abominatus est*, גאל in sequiori Hebraismo *pollutus est* **), أَجَلَ *detinuit*, وَجِلَ *timuit sibi ab aliquo*, aut ita, ut cum actu removendi ex aliquo loco sive alicuius possessione simul appropinquandi ad alium coniunctus cogitetur (similia in aliis radicibus), ut in גאל aliunde ad se removit i. e. *repetiit*, *redemit*, *liberavit*. — Participium quod hinc ducitur, in universum igitur significat repetentem vel redimentem; sed pervetusto tempore latior haec significatio forensi usu magis definita limitataque est, ut denotaret eum, qui cognationis et iure et officio obstringebatur, ut familiae suae amis-

---

*) Gesenius *Hebr. Gram.* edit. 10. p. 71. disiunxit radices גלל et גלה, quae nobis ut indicavimus videntur coniungendae.

**) Quod polluendi notionem ex respuendo et abominando ortam fecimus, ipsa rei natura defenditur; pollutum enim per se nihil est, sed hominum animus pro polluto habet, in quo coniuncta videt, quorum coniunctionem oculi aversantur. Hinc patebit, non admittendam esse contrariam sententiam, qua respuendi notio a polluendo ducatur, quum hoc ne cogitari quidem possit, nisi ubi illa animum iam tenuerit.

sas possessiones pecunia, posteritatem viduae mortui cognati matrimonio, laesum honorem sanguine repeteret. In quo observandum tamen est, in V. T. vocem גֹּאֵל, ut pro primigenia eius potestate aliter fieri non potuit, nusquam de sanguinis vindice dici, nisi appositum sit הַדָּם, excepto uno loco Numer. 35, 12., sed in quo ille sensus commemoratis הֶעָרִים לְמִקְלָט et הָרֹצֵחַ tam apertus, et supplementum נֶפֶשׁ ex proxime antecedente מַכֵּה־נֶפֶשׁ tam facile erat, ut apponere hoc nomen nihil amplius opus esset. Quod idcirco a nobis annotatum est, ne quis, ut blanditur primo adspectu et nonnullis vere visum est, גֹּאֲלִי in eo loco, quem tractamus, solum de vindice illo sanguinis (ثَائِر) intelligat, qui post necem cognati sui, nulla tribunalis vel iudicis ratione habita, per agros et deserta oberrans, interfectorem persequitur ac denique ferro percutit. Ad hoc enim exsequendum officium non nisi post caedem consanguinei sui progreditur; dum eo fungitur, גֹּאֵל הַדָּם nuncupatur; quod utrumque, etsi vindicis notio non prorsus absona sit, in nostrum tamen locum non penitus cadit, in quo et illud הַדָּם non legitur, et Iobus inter vivos superstes (מִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה) Goelem conspicere sperat. — Sed usu veniunt etiam generaliores huius vocis significatus, ex foro in vitam communem traducti, tum consanguinei sive propinqui (ἀγχιστεύς ut in nostro loco Theodotio vertit), quandoquidem et iura et officia illa proximi agnati erant (vid. Gesenii *Thesaur.* s. v. גאל), tum patroni in iudicio atque in alio rerum et vitae periculo, sine ulla affinitatis nota, nec tamen sine respectu ad fori usum. Quem ne ab iis quidem locis, quorum permulta enumeravit Gesenius l. c., omnino abesse crediderim, ubi

Deus Israelitarum vel singulorum hominum גֹּאֵל appellatur; illa enim, quae nonnunquam addita reperitur, formula רִיבָה רִיבִי וּגְאָלֵנִי Ierem. 50, 34. Ps. 119, 154. Proverb. 23, 11. Threu. 3, 58. indicat, miserias Israelitarum, a finitimis nationibus inflictas per imaginem cum forensi causa, in qua Deus patroni personam agat, comparari. Ceterum duo posteriores locorum, quos modo adduximus, memorabiles etiam eo sunt nomine, quod Deum appellant Goelem singulorum hominum, miseria ut pietate insignium, et in ipso vitae discrimine versantium, habetque ille in Threnis paene commentarii ad Iobi dictum speciem, dum eius sensum sic effatur: רַבְתָּ אֲדֹנָי רִיבֵי נַפְשִׁי גָּאַלְתָּ חַיָּי. Sed haec disputando en! iam illud sustulimus gravissimum argumentum, quo et magni numeri et clari nominis interpretes, praeter veteres illos, Hieronymum, Augustinum, Cyprianum, etiam recentiores, ut de Pineda, Corderus (*Iob elucidatus*), Cocceius, Schultensius, Michaelis et ceterorum theologorum omnis confessionis promiscuum agmen, probatum iverunt, גֹּאֲלִי de Messia, eodemque Iesu Christo, resurrectionem mortuorum effecturo intelligendum esse, utpote cui per totum V. T. ista propria esset appellatio. Relinquimus haec iis, qui talia multis confutare amant, contenti, quod unus certe ex ordine Capucinorum theologus, Bolducius (*Commentar. in Iob.*), fassus est, multis in locis valere illam vocem de Deo liberatore ab aliquo malo vel calamitate, itaque satius esse, utrumque et Deum Patrem et Messiam Filium hic loci complecti. Scilicet Capucino digna ratiocinatio! Cetera, quae de ultimo iudicio per Filium Dei, verum generis nostri Goelem, fabulantur huius sententiae fautores, quaeque de attributis, non in Deum

ἄσαρκον, sed in Messiam quadrantibus, temere exponunt et magis verborum copia, qua incredibili modo luxuriantur, quam idoneis rationibus defendunt, legant, quum nos taedeat repetere, qui cupiunt apud Michaelem *Annotatt. Uberior. in Iob.* p. 258 ss. *) potissimum ex Spanhemii *Historia Iobi* excerpta. Debuisset ab hac, quam in nota textui subiecta, illorum verbis accuratius descriptam habes, sententia, ipsum suffixum primae personae voci גֹּאֲלִי adiectum et totius capitis nexus avocare, quandoquidem ex utroque, Goelem hic minime communem omnium hominum, sed unius Iobi servatorem agere, cognoscitur. Nam quod Michaelis l. c. p. 261 de „suffixo fidei, communem redemtorem sibi approprianits" et de Pineda l. c. p. 98 de usu suffixi amatorio praecipiunt, id suo tempori scripserunt et nobis risum movet. Quod autem ad nexum et finem capitis attinet, in quo legitur hoc dictum, cum eo qua ratione constare possit ista opinio, vix ac ne vix quidem perspicitur. Id enim quum neminem praetereat in hoc capite inde a vers. 13. Iobo propositum fuisse, ut perfidiam, criminationes, vexationes amicorum adumbraret,

---

*) גאלי *Redemtor meus, qui me ex communi quoque hominum sorte miserrimum ac perditum, velut peculium, hereditatem et consanguineum suum, non tantum ex afflictione, sed ex omnibus etiam malis ac miseriis, adeoque ex peccato ac morte, interposito lytro ac pretio sanguinis sui, velut propinquus ob adsumtam hominis naturam, sive ob nexum et communionem humani sanguinis mihi cognatus, eripiet ac vindicabit. Qui certe alius esse non potest, quam Messias s. Christus, Dei et Hominis filius, maioribus Iobi dudum, et ab initio mundi in salutem humani generis a Deo promissus."*

eosque poenam, se vero auxilium manere affirmaret, quid potuisset ineptius ad finem suum facere, quam Messiae, totius generis humani peccata sanguine suo ut lytro luentis, mentionem iniicere? Nonne dum ad illum omnium hominum communem redemtorem provocaret, substituisset in professionem innocentiae suae, quam lapidi incisam optabat, peccatorum sibi ut omnibus hominibus inhaerentium ac per θεάνθρωπον expiandorum memoriam, et amicis poenae loco remissionem peccatorum spopondisset? Sic vero omnem nexum dilui ac tolli totius orationis finem quum vel angustiora ingenia sentiant, iam satis ipso sententiarum ordine, quo de Messia cogitandi causa non solum oblata non est, sed id quominus fiat etiam prohibetur, ista opinio redarguta videtur, quam a recentioribus interpretibus relictam quidem, confutatam argumentis nusquam inveni. —

In censum venit secundum genus interpretum, in quibus, paucis quidem numero, Saadia et Aben-Esra habendi sunt, referentes illi גֹּאֲלִי ad unum aliquem hominem aut coetum hominum, qui nunc vivant et causae Iobi patrocinentur. Male quidem; quum hoc per totum librum gravi oratione ac lugubribus modis deploret vir miserrimus, quod ab omnibus hominibus, vel iis, qui obedientia, quotidiano usu, amicitia, sanguine secum coniuncti fuissent, desertus, neminem in hac terra sui miserescentem, unumque illum, ad quem per lacrimas prospiciat, virtutis suae testem in coelis habeat. Cap. 16, 19. 20. *). Hic autem, cuius citandi opportunitas modo data

*) Bene ad h. l. Umbreit ed. 2. p. 163 annotavit: „גַּם־עַתָּה, *ist nicht zu übersehen. Auch jetzt noch, wo ich auf Erden ganz verkannt werde, bin ich überzeugt, dass im Himmel Gott meine Unschuld wohl weiss.*“

est, ille est gravissimus locus, quo, ut omnino ad nobilissimam nostram pericopen illustrandam apprime idoneo, quam recte tertia interpretum classis גֹּאֵל de Deo intelligat, monstratur. Cui sententiae praeter Mercerum, graviorem inter recentiores defensorem, Grotium, Doederleinium, Dathium, Ilgenium, Eichhornium, Umbreitium, etiam eorum nonnulli adstipulati sunt, qui resurrectionem mortuorum ab Iobi mente non abfuisse, vel aliquo modo verisimile duxerunt, ut Calvinus et Kosegartenius, vel ut Rosenmuellerus, pro certo affirmaverunt. Et sane recto illam talo stare, nemo quum utrumque inter se comparaverit locum amplius dubitabit. Maximam enim similitudinem ut imagines et comparationes, ita sententiae evincunt; in utroque Iobus, desperans de innocentia sua inter mortales agnoscenda, a perfidis amicis exacerbato animo aversus, alius opem implorat, quem 16, 19. 20. testis sui in coelo, capite 19, 25. Goelis sui nomine insignit. Posterius nomen ad alium, quam eundem Deum (עֵדִי בַשָּׁמַיִם) referre, nemini in mentem veniet, qui quod supra annotavimus, Deum etiam ut singulorum hominum patronum saepius in V. T גֹּאֵל nuncupari, et hic in versu proxime sequente, Dei (אֱלוֹהַּ) ut Iobo adhuc vivo apparituri mentionem fieri, animadvertit. Quae quum ita sint, vocabulum גֹּאֵל, quod proprie de hominibus dicitur ac supra pro vario usu suo descriptum est, per imaginem apparet traductum esse ad Deum, tanquam patroni in foro personam agentem, qui quae erepta videbantur, praecipue virtutis famam et existimationem, Iobo vindicaturus, eumque a malis, quae perferret, iniuriis ac vexationibus amicorum liberaturus esset. Valet igitur etiam hic loci ille, quem nusquam omnino evanuisse putamus,

huius vocabuli usus forensis, ad quem praeter alia revocat iudicii in vers. 29. facta commemoratio. De vindiciarum modo nihil dicitur, nec de eo, utrum bona sua recuperaturus, an a Deo insons declaratus supremum diem obiturus sit Iobus; quapropter quamvis propinquam fuisse in illo vocabulo גֹּאֲלִי notionem vindicis post caedem factam, non negemus, tamen, quum a vivo Iobo Goel conspiciendus esset, potius patroni in iudicio notionem animo auctoris obversatam esse, illudque vocabulum rectius arabice per وَلِيّ *tutor et vindex sanguinis* (Coran. 2, 101. parall. c. نَصِير 27, 51.), ut a Saadia factum, quam per ثَائِر reddi, nobis est persuasum. Amant, ut hoc obiter adnotetur, etiam Arabes, Deum eadem metaphora in piis formulis وَكِيل *procuratorem* appellare. Kosegarten. *Chrestom. arabic.* p. 1. —

Suffixum primae personae non temere adjectum esse ad גֹּאֲלִי, sed pondus habere, sequentia verba אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי, quae nihil nisi accuratiorem huius suffixi expositionem agunt, aperte indicant. Pari modo cum emphasi, ut aiunt, pronomen primae personae וַאֲנִי, initio commatis 25. praescriptum est, quo oppositio Iobianae persuasionis contra amicorum criminationes, per totum librum manans, magis urgeatur et clarius significetur; ו autem, de quo in diversissimas partes aguntur interpretes *) (vid. Schultens. l. c. p. 483.),

*) Cf. Ewald *kurz. Gramm. d. hebr. Spr.* p. 283. —

nobis est, ut MICHAELI *Annot. Uber.* p. 257., certe in hoc verum videnti, particula causativa, siquidem voto de incidendis lapidi verbis suis v. 23. 24., nunc ratio additur, quod ipse, etiamsi alii id negent, innocentiae suae defensionem eventu comprobatam fore, certissime sciat.

Vocabulum חַי unus quantum scio vir doctus cum יָדַעְתִּי eum in sensum coniunxit, ut Iobus adhuc vivus Goelem suum novisset. At hoc quamquam acute cogitatum, tamen neque accentus, levioris illi quidem momenti, nec, quod gravius est, collocatio verborum admittunt, qua maxime commendatur ut minus quaesitum, referre hoc adiectivum tanquam praedicatum ad גֹּאֲלִי, id quod reliqui interpretes omnes, sed diverso sensu, assumsere. Inter eos fuisse, qui minus Deo, quam Messiae eiusmodi praedicatum convenire, hincque resurrectionem Christi demonstrari, arbitrarentur, monuisse sat est. Magis placere possit, quod alii vocabulo חַי notionem divinae aeternitatis attribuunt, vel per se spectatae, ut MERCERUS, qui sententiam elicuit, Deum esse aeternum, vel cum respectu ad hominum fragilitatem, ut, ROSENMUELLERO iudice, Iobus professus sit, Deum sibi sua post fata superstitem mansurum. Ac verum quidem est, Deo haud raro in V. T. ad indicandam perennem suam naturam vitam tribui (cf. BAUMGARTEN-CRUSIUS *Grundzüge d. bibl. Theol.* p. 192.), sed non negabitur quoque, istam nemini non notam et tenuissimam fore sententiam hic loci, in quo non tam Deo ut supremo numini vita vindicatur, quam hunc Deum ut Goelem Iobi vivere i. e. patroni in-

---

Qui adversativam vim *tamen ego* adoptant ad particulam transferunt, quod inest in pronomine אֲנִי.

star existere et efficaciam suam exhibere affirmatur. Hoc autem illud est, in quo ut prioris hemistichii, ita totius nostri oraculi sententia continetur, solum ratione temporis, loci ac modi, quo ad eventum perducatur, in sequentibus verbis certius definita.

In posteriori commatis 25. parte haud leves cum de subiecto tum de sensu vocabuli אַחֲרוֹן diversitates sunt. Ilgenius l. c. p. 164. et Michaelis (*Orient. u. exeget. Biblioth.* To. VIII. p. 184.) auctores exstiterunt, Iobi pro subiecto habendi, in eo tamen diversi, quod ille אַחֲרוֹן coniunxit cum עַל־עָפָר, ita ut sit *postremus super pulvere* is, qui in pulvere, ubi consederat cum amicis, postremum locum tenuerit, hic autem reddidit: „*ein andrer Ich.*" Haec quemadmodum inauditis apud Hebraeos ac ne Arabismo quidem, ad quem Ilgenius confugit, probatis significationibus (أُخْرَيَاتٌ locum postremum nec tamen hominem in eo considentem designat), et aliis parum certis sententiis, quas supponunt, se ipsa tollunt, ita una Eichhornii l. c. p. 388. observatione profligantur, quod personarum mutationem adoptant, contextui loci aperte contrariam. Non maioris aestimanda est Aben-Esrae opinio, qua אַחֲרוֹן alium Goelem, posthac nascendum, eique, qui nunc vivat, oppositum, designat; ea enim una cum interpretatione Goelis de aliquo homine evanescit. Recte igitur, quo verba ultro ducunt, reliqui omnes quos novi interpretes אַחֲרוֹן ad גֹּאֲלִי retulerunt, pro cuius propria unicuique explicatione, sibi constantes, אַחֲרוֹן diverso sensu accipiunt. Itaque Coccejus, I. Henr. Michaelis (*Annot. Uberior.*) et qui horum vestigia premunt, Messiam *postremum* appellari opinantur, vel quod exerceat, „quum omnia mors occupaverit,

ipse immortalis, dominium in mortem," vel quod, ut Vulgata versio sensum expressit, SCHULTENSIO probatum, „die novissimo super pulverem adstiturus sit." In quo cavendum tamen esse, monuit SCHULTENSIUS, ne vocabulo אַחֲרוֹן mysticam illam vim vindices, qua Messias vocatur a Iudaeis גֹּאֵל אַחֲרוֹן, ut Moses גֹּאֵל רִאשׁוֹן, quia haec oppositio tempore Iobi nondum nota fuisset. Vide quousque theologos propulerit dogmatices suae studium! Quod enim nusquam usu venit in V. T., אַחֲרוֹן eum designare, qui novissimo die apparitūrus sit, id haud dubitanter pro certo affirmant, sententiam defensuri, supra de subiecto vocabuli גֹּאֲלִי a nobis monitis, iam satis refutatam. — Aliquanto maiorem attentionem ii expetunt interpretes, qui אַחֲרוֹן de Deo ceperunt, sed triplici sensu; cum relatione aut ad existentiam Dei etiam post consumtionem omnium hominum duraturam, aut ad tutelam, virtuti Iobi post obitum eius apud posteros divinitus praestandam, aut ad Dei apparitionem post certantium amicorum imprimisque Iobi defatigationem. Ad primum illud tendunt cum IARCHIO: לאחר שיכלו כל שוכני עפר הוא אחרון יעמוד *omnibus hominibus, qui terram habitant, consumtis, ipse postremus* futurus et aeternus *perstabit,* ut Rabbinorum plurimi, ita MERCERUS, nihil ista formula: אֲנִי רִאשׁוֹן וַאֲנִי אַחֲרוֹן Ies. 44, 6. 48, 12. al., ad quam provocare solent, efficientes, quum quae per negatum initium ac finem divinae vitae vere designatur aeternitas, non item sola voce אַחֲרוֹן indicetur, de qua optime SCHULTENSIUS quaerit: „An aeternitas Dei unquam alibi sic expressa? aut an eam ita exprimi non dicam genius linguae, sed vel sensus communis pati potest?" — Non magis assensum ferent PAREAU, DE WETTIUS (*D. Schrift. d. A. T. neu übersetzt.*

To. III.) et Rosenmuellerus, qui secundum illud defendunt, Deum ut omnium diutissime, ad extremas usque aetates post Iobi obitum remanentem, praestantissimum vindicem fore; nam ex arabico usu vocabuli آخَرُون in Corano 26, 84. 37, 79. 109. 119. 129. non tam quod defendunt, quam quod et notum est, et ex Iob. 18, 20. potuisset probari, אַחֲרוֹן posteros significare, evincunt; terminum autem, post quem auxilium Goelis demum incipiat, mortem puta Iobi, ex arbitrio et contextui adversantem ponunt. Quae quum ita sint, menti se tertium illud insinuat, Goelem אַחֲרוֹן *posteriorem* vel *postremum* dici ex adverso aut amicorum disserentium, aut quod rectius nobis videmur statuere, praesentis et proxime instantis temporis, ita ut Iobus affirmet, nunc existere (חָי) patronum suum, eundemque postremum i. e. posthac, tandem appariturum esse. Haec, quae per se incertior est temporis, quando Goel appariturus sit, indicatio, accuratius in sequentis versus hemistichio priori definitur, ut ipsa eius particula inchoativa ostendere videtur. Proxime igitur ad verum accedit, quod Umbreitius scripsit: „אַחֲרוֹן *eigentlich als einer, der nachkommt, nämlich: wenn ich selbst mich nicht mehr vertheidigen kann.*“

Ab ea, quae una relicta est huius versus formula, עַל־עָפָר יָקוּם pendet nostri dicti sensus paene totus. Est autem, quod vix credas, vel de notissimis istis et sexcenties obviis vocibus tantus tamque mirus interpretum dissensus, ut antequam de universa enunciatione agatur, de singulis deinceps vocabulis dicendum sit. De voce עָפָר sunt potissimum duo sententiarum genera; alii enim interpretum improprio sensu de homine eam dictam, alii proprie ad

terram vel certam aliquam partem eius relatam volunt. Illa metaphorica significatio vario modo adhibita est; plerumque eam ab infirmitatis et hostilis animi nota, quae vocabulo עָפָר inhaereat, ductam, Iobum aut adversarios eius designare putant. In quo primum hoc certissime negandum est, aliquam adversitatis vel inimicitiae notionem vocabulo עָפָר inesse; singulos enim quosque V. T. locos, ubi haec vox legitur, considerantibus nobis, ne unus quidem, qui illud comprobet, occurrit. Aeque improbabilis deinde etiam illa Dathii est, Hufnagelium secuti, coniectura, vocabulo עָפָר subiiciendam esse hostis sive hominis malitiosi et perditi significationem, quam in lingua arabica habeat (vid. Golii *Lexic.* p. 1605. Castell. *Lexic. hept.* p. 2845. رجل عفر *vir perditus, proclamatae impietatis*); nam, quod contra dici posse vir doctus ipse sensit, vocabulum עָפָר toties in Iobo aliisque locis obvium semper pulverem et terram significat, et vix temeritatis notam effugiet, qui illam linguae hebraeae ignotam significationem hoc uno in loco substituat. — Multo magis primo adspectu arridere possit, quod Hezelius in Bibliis suis notis illustratis, Eichhornius et alii socios Iobi sic dictos existimant cum respectu ad corpus eorum fragile et ad oppositam omnipotentis aeternique Dei naturam. Ad viam autem, qua in hanc explicationem feruntur, si diligentius attendis animum, videbis, nomen pulveris, super quem Deus appariturus esset, captum esse pro amicis Iobi, quippe hominibus, qui cum Deo comparati aeque ac pulvis, facilis ille contritu, debiles et infirmi essent; quod vereor, ut aliquo exemplo probari possit, neve ipsam Iobaei sermonis fervidissimam brevilo-

quentiam superet. Huc accedit, quod nostri loci alia, quam eorum ratio est, quibus defendere solent illam humanae debilitatis notionem ut voci עָפָר adhaerentem. In iis enim omnibus Ps. 103, 14. עָפָר אֲנָחְנוּ, Gen. 3, 19. עָפָר־אַתָּה וְאֶל־עָפָר תָּשׁוּב, Genes. 18, 27. אָנֹכִי עָפָר וָאֵפֶר aliquod vocabulum additum vides, quo comparationem, a pulvere desumtam, ad fragile corpus humanum pertinere, certo indicatur. Id vero in nostro loco factum non est, quamquam eo sensu, quo illi volunt, tanto minus praetermitti debuit, quanto magis contextus aliorsum ducit. Pro hoc enim, siquidem voce עָפָר aliquem hominem designatum putas, multo probabilius de Iobo, cuius mentionem iniicit suffixum in גֹּאֲלִי, quam de amicis cogites, quos Iobus admodum frigide propter corporis fragilitatem cum glebis, quae facile disturbari possint, comparavisset, quum et ipse eiusdem naturae particeps esset. Sed ne ad Iobum quidem ipsum referre עָפָר fas est, quemadmodum factum, eo quidem sensu, ut significatum putarent aut corpus Iobi paene destructum, pulvere contectum, exesumque vermibus, aut pulverem, in quem Iobus brevi se redactum iri exspectat. Prius illud magis audacter a Doederleinio dictum, quam exemplis probatum est; namque locorum, quae fortasse in hanc rem citari possent cap. 7, 5. 30, 19., ea est dissimilitudo, ut iis potius refelli quod contendant, quam comprobari videatur: posterius autem iam Umbreitius (ed. 2.) optime monuit, exemplis a Rosenmuellero citatis cap. 7, 21. 17, 16. 20, 11. 21, 26. parum defendi, quippe in quibus עָפָר terram, in qua cubent mortui, nec vero defunctorum hominum cadaver pulvereum indicet.

Proxime huc ex interpretibus secundi generis,

ad quod pergimus, ii accedunt, qui עָפָר proprio sensu de sepulcrali Iobi tumulo, cui Deus adstiturus esset, accipiunt. Nacta est haec sententia, Schultensio iam probata, maiorem inter recentiores auctoritatem ex quo tempore de Sacy in litteris ad Kosegartenium datis scripserat: „Quant au mot עפר, je pense qu'il doit s' entendre de la poussière du tombeau" et Rosenmuellerus ad Ps. 22, 3. nec non Kosegartenius istam significationem exemplis confirmare et usu arabicorum vocabulorum شَغَاةٌ et تُرْبَةٌ commendare studuerant. Sed aliter profecto fieri non potuit, quum omnes mortales tandem supremum diem obeuntes humi (עָפָר) prosternantur, in terra (עָפָר) abscondantur ac dissolvantur in eam, cui desumta sunt corpora, terrestrem materiam (Eccles. 12, 7. וְיָשֹׁב הֶעָפָר עַל־הָאָרֶץ כְּשֶׁהָיָה), quam ut ad mortem describendam vox עָפָר saepius adhiberetur. Hinc frequentes illae formulae עֲפַר מָוֶת, שָׁכַב־עַל עָפָר, יָרַד, שׁוּב אֶל־עָפָר, in quibus עָפָר propter contextum et apposita verba nonnunquam sensum, nec tamen per se notionem sepulcri habet. Quod revera ita se habere, probatur tum hinc, quod etiam de bestiis exspirantibus, sed sepulcrum nunquam adeuntibus istae formulae usu veniunt, tum quod iisdem reditus ad pulverem suum, adiecto suffixo, tribuitur Ps. 104, 29., scilicet non eo sensu, ut ad sepulcra redeant, unde nemo ortus, sed ut in pulverem, ex quo prodierunt corpora animantium, resolvantur. Labans tali modo significatio Arabum sermone non sustentatur. Nam quod laudant ex Schultensii *monument. vetust.* p. 25 نَقْعُ ٱلْمَوْتِ omnium minime ad se-

pulcrum pertinet, sed de pulvere dictum est, pugnantium acri conflictione excitato, qui sanguine vulneratorum tinctus aërem opplet omnesque suffocat, ut est ib. p. 15 إِنَّ ٱلنَّقْعَ صَبَّغَهُ (sc. ٱلْيَوْمَ) بِدَمِهِ.

Nec plura efficiunt vocabulo تُرْبَة in *Excerpt. Hamas.* p. 559:

وَلَوْ أَنَّ لَيْلَى ٱلْأَخْيَلِيَّةَ سَلَّمَتْ
عَلَيَّ وَدُونِي تُرْبَةٌ وَصَفَائِحُ
لَسَلَّمْتُ تَسْلِيمَ ٱلْبَشَاشَةِ أَوْ زَقَا
إِلَيْهَا صَدًى مِنْ جَانِبِ ٱلْقَبْرِ صَائِحُ *)

„Si contigeret, ut Laila Achialitis salutem diceret
Super me, quum subter me pulvis ac lapides (strati),
Profecto ego redderem salutem laetae frontis, et resultaret
Ad eam rauca vox e latere sepulcri clamans."

Agitur hic quidem de mortuo homine, in sepulcro cubante, at idcirco si diceres, تُرْبَة *pulverem* significare sepulcrum, id non rectius, quam si صَفَائِح *lapides* notionem habere tumuli sepul-

*) صَائِحَة quum sit solenne vocabulum de hominum miserorum et mortuorum suspiriis, satis iusta nobis causa fuit a Schultensio recedendi.

cralis contenderes. Pendet igitur in utroque et Arabum et Hebraeorum sermone ista nominis עָפָר relatio ad sepulcrum ex singulorum locorum indole ac nexu, nec putandum est, inesse in ipsa voce עָפָר illam significationem, sed ei extrinsecus per contextum adspergi. Iam vero nostrum locum non ita comparatum esse, ut עָפָר ad sepulcrum referre oporteat, tum ex iis patebit, quae de גֹּאֲלִי supra disputavimus, tum hinc, quod ipse Silvester de Sacy pro ingenii sui excellenti sagacitate sensit et acute monuit, opus fuisse pro illa significatione nomini עָפָר suffixum primae personae addere *). — Magis etiam, quam quos hucusque taxavimus a re abludunt, qui cum Grotio vocabulo עָפָר arenam depugnantium vel palaestram intellectam volunt; sic enim non solum significatio, cuius exemplum in V. T. nullum exstat, attribuitur huic voci et ex diversa aliqua radice אבק arcessita, quod facere non licet, in eam transfertur, sed etiam ad ritum aliquem, qui Schultensio arbitro veteribus Hebraeis incognitus fuit, in eo loco allusum esse statuitur, in quo pugilum ne levissima quidem mentio iniecta est. Sic spero satis proclives redditos esse animos ad recipiendam explicationem, antiquis versionibus nec non Rabbinis omnibus, et inter recentiores plerisque ac summis viris, Mercero, Umbreitio, Winero (*lex.*), Gesenio (*lexic.*) al. probatam, qua עָפָר de universa terra (= אֶרֶץ, אֲדָמָה) accipitur; quo sensu cum in multis aliis V. T. locis, tum imprimis in libro Iobi 5, 6. 8, 19. (ad h. l. Schult.) 39, 14. 41, 25. occurrit. Ac posset, si eo opus

*) „Je ne serois pas même éloigné de lire עפרי, le י ayant pu facilement disparoitre devant יקום." Apud Kosegart. l. c. p. 19.

videretur, haec etiam ex comparatione cap. 16, 19. 20. nostro loco vindicari notio.

Vocaculum יָקוּם, in quod exit comma 25., paene innumeris modis explicatum est, neque aliqua potest vel maxime contorta cogitari eius significatio, quam ab hoc loco prorsus alienam duxissent viri docti. Discedunt iam de eo in duas partes, utrum יָקוּם cum particula עַל coniungendum, an ab ea avellendum sit. Hoc qui contendunt ne ipsi quidem de sensu conveniunt; eorum enim alii, in quibus Ilgenius est, יָקוּם pro verbo iudiciali habent ad Iobum referendum: causa stabit, vincet, ut Ps. 1, 5., alii Iarchium sequuntur ac de Deo in aeternum permanente, ut Ies. 40, 8. accipiunt. At nec de usu iudiciali verbi קוּם, nec de notione vincendi uno illo loco, quem laudat Ilgenius, persuadet, quippe in quo קוּם potius negatam improbis defensionem ab interitu, (vid. de Wett. ad h. l.), quam causae suae victoriam designat *), et relatio ad iudicium non tam ipsi voci קוּם, quam adiecto בַּמִּשְׁפָּט inest. Ceterum obstant, etiamsi defendi posset ista notio, quominus hic admittatur, etiam ea, quae אַחֲרוֹן ad Iobum referre non sinunt.

Aliter iudicandum est de verbi קוּם significatione, quam Iarchius sibi adoptavit; ea enim communi quidem linguae hebraeae usu defenditur, sed, utcunque tandem explices formulam, aliquid a contextu alienum et languidum infert. Namque si generaliter sine ulla ratione ad patrocinium Iobo praestandum, Deum ut in omnem aeternitatem super

---

*) Idem valet de alio loco, in hanc rem laudato Ps. 24, 3. Et in hoc et in illo, quem textus supernus citavit, non negatur, improbos victuros esse causa, sed eos durare, ferre posse iudicium sine pernicie sua.

terram mansurum hic describi putares, addita esset solenni illi et cum ornatu quodam verborum institutae professioni Iobi de patrono causae suae vere existente, frigidissima aliqua ab eaque absona sententia, neque ad solatium Iobi neque ad terrorem adversariorum quidquam pertinens; sin Deum postremum in terra versaturum statueres eo sensu dici, ut post adversarios absumtos victor mansurus esset, hoc ipsum, ut alia praetereamus, artificiosius ac contortius expressum esset verbis, quam ut fidem faciat haec interpretatio, praesertim alia eademque commodiori relicta; ac si denique id huic enunciationi inesse crederes, quod Deus etiam apud posteros in hac terra causae Iobi tanquam patronus adforet, supervacaneum aliquid sine iusta ratione supponeres, quandoquidem soli amici virtutem Iobi in dubium vocabant, quibus perditis, patrono amplius non indigebat.

Alterum genus interpretum eorum est, qui קוּם cum עַל construendo coniungunt, eique sic significationem surgendi aut cum hostili animo, aut cum tuendi consilio, vel etiam meram apparendi notionem inesse volunt. In quibus Doederleinius et Dathius auctores exstiterunt eius sententiae, quam suam fecit etiam Eichhornius *), phrasin קוּם sequente עַל pro *impugnare* semper in sensu deteriori dici, de subactione eius qui impugnetur, sive etiam de simplici aggressione cum alterius periculo. Sed hic, ut iam Silvester de Sacy monuit, egregie falsi sunt viri illi docti; quae enim in nonnullis locis vere obtinet significatio aggrediendi cum hostili animo,

*) „קוּם *mit* עַל *heisst immer:* contra aliquem, aliquid surgere“ l. c. p. 388.

eius alibi ne levissimum quidem vestigium inveniri, affatim exemplorum demonstrant. Ut e multis pauca, videas Iob. 25, 3., ubi de sole oriente dicitur וְעַל־מִי לֹא־יָקוּם אוֹרֵהוּ et 2 Reg. 13, 21. de homine per Elisae ossa resuscitato: וַיְחִי וַיָּקָם עַל־רַגְלָיו (قَامَ قَائِمًا Kosegart. *Chrest. arab.* p. 2.) Quibus quamquam nolumus id efficere, ut passim occurrere impugnandi potestatem omnino negemus, tamen probavisse nobis videmur, cum necessitate ad eam accipiendam interpretem non trahi hic loci, a quo eam potius alienam esse, vel inde apparet, quod a nemine assumta est aut adaptari huic loco potuit, nisi qui עָפָר de hostibus adversus Iobum vel Iehovam interpretabatur. Sed hoc quum supra demonstratum sit ab usu linguae abhorrere, sic simul explicatio verbi קוּם reprobatur, isti penitus innixa notioni.

Altera illa interpretatio, inter vetustiores iam Franckio in *Asylo veter. pior.* p. 20. (laud. a I. H. Michaeli in *Annotatt. uberior.* p. 264.) probata, qua קוּם c. עַל constructum eodem, quo Arabes sensu, *adstare rei cum quadam auctoritate et curam eius gerere* sumendum arbitrantur, inter nostrates nunc quidem ceteras omnes superat auctoritate, quoniam assensu suo eam denuo de Sacyus, Kosegartenius et Rosenmuellerus commendaverunt. Postulat tum gravitas rei, tum summa viri dignitas, qui eius patrocinium in se suscepit, ut verba quomodo exstant in litteris de Sacyi ad Kosegartenium integra huc transscribantur. Et ille quidem haec scripsit: „Dans ce passage de Iob tout le sens depend de la construction du verbe יקום avec la préposition על. On peut dire que cette construction donne au verbe *kal* קָם le sens du *hi-*

phil הקים, ce qu'on justifieroit par la comparaison de ce texte du Deuteronome, ch. 25, v. 6. יקום על שם אחיו, avec celui du v. 7. להקים לאחיו שם, et cet autre de Ruth, ch. 4, v. 10. להקים שם המת. Je n'approuverois point cependant cette interpretation. J'aime mieux comparer cette construction avec celle du verbe قام arabe, suivi de علي; il signifie, *stare prope aliquem, apud illum consistere cum quadam auctoritate et inspiciendi causa.* C'est en ce sens qu'il se trouve dans l'Alcoran Sur. 3. v. 68, edition de Hinkelmann, et je ne doute point que le même sens ne doive être appliqué à ce passage du deuxième livre de Samuel, ch. 12, v. 17. ויקמו זקני ביתו עליו להקימו. Je traduirois donc le passage de Iob ainsi: „*et adstabit pulveri, eum inspecturus.*“ At ut ingenue dicamus, quod sentiamus, vix et ne vix quidem efficitur laudatis illis locis quod voluit vir summus, et sapienter nobis videtur in eo egisse, quod istam opinionem de significatione intransitivi verbi קום per appositam particulam עַל in transitivam conversa ipse non magni fecit et ut alienam reprobavit. Namque instituta inter Deuteron. 25. versum. 6. et 7. comparatio aliorsum ducit. Agitur de matrimonio levirato, cuius ex lege, mortuo alicuius feminae marito nec filio superstite, mortui frater iubetur viduam in matrimonium ducere, filius autem ex hoc connubio primogenitus *stare super nomine fratris defuncti, ne huius nomen ex Israele perditum eat* וְהָיָה הַבְּכוֹר אֲשֶׁר תֵּלֵד יָקוּם עַל־שֵׁם אָחִיו הַמֵּת וְלֹא־יִמָּחֶה שְׁמוֹ מִיִּשְׂרָאֵל. Sensus edicti sine dubio hic est, succedendum esse in defuncti mariti nomen et bona filio ex uxore et leviro primogenito, ne una cum nomine ex tabulis genealogicis memoria mortui fratris

inter Israelitas deleatur; idque ex usitata verbi קום notione *standi* tam aperte et nullo negotio prodit, ut equidem non videam, qua ratione attribui ne dicam debeat, sed possit coniugationi Kal significatio hiphilica. Neque ad hanc rem quidquam facit, quod in sequenti versu 7. coniugatio hiphil legitur, quum ibi non amplius de filio ex coniugio levirato nascendo, sed ut Ruth l. c. de ipso leviro agatur, qui מֵאֵן לְהָקִים לְאָחִיו שֵׁם בְּיִשְׂרָאֵל abnuat gignendo efficere, ut filius possit in defuncti fratris nomen succedere. Sic tum demum recte mihi videor mentem auctoris capere, quum ad primigeniam ac diversam coniugationis Kal et Hiphil potestatem attendam — Nec consentaneum existimem, huius tam frequentis ac tritae apud Hebraeos formulae ex arabico sermone repetere significationem ab Hebraeorum usu remotiorem, quamquam acceptum etiam mihi in ceteris est, comparandis cognatis dialectis cognoscere vocum hebraearum nativas notiones, praesertim in obscurioribus ac rarioribus dicendi formulis. Itaque recepta apud Arabes aliqua phraseos قَامَ cum عَلَى significatio mihi tantum hac lege ad nostrum locum admovenda videtur, ut exemplis e V. T. depromtis iisque luculentis eadem Hebraeis quoque vindicata sit. Sed ne certum quidem esse dixerim, apud Arabes nostram phrasin una cum standi notione exprimere consilium inspiciendae vel cognoscendae eius rei personaeve, cui particula عَلَى praeposita est. Nego enim id illo, quem laudant Corani loco probari. Verba haec sunt:

وَمِنْ أَهْلِ ٱلْكِتَابِ مَنْ إِنْ تَأْمَنْهُ بِقِنْطَارٍ يُؤَدِّهِ

إِلَيْكَ وَمِنْهُمْ مَنْ إِنْ تَأْمَنْهُ بِدِينَارٍ لَا يُؤَدِّهِ إِلَيْكَ
إِلَّا مَا دُمْتَ عَلَيْهِ قَائِمًا

i. e. „ex iis, qui Scripturam profitentur (Iudaei), alius, si concredas ei talentum, id tibi restituet, contra ex iisdem alius, si concredas ei denarium, id tibi non restituet, nisi *perseveraveris ei instans.*“

Hic si quid video, multo minus ad rem attinet significatio *standi prope* debitorem eumque *inspiciendi*, quod parum curaverit sordidus ac denarii tenax Iudaeus, quam *surgendi contra* eum, *instandi* cum omni auctoritatis ac minarum pondere et *hostiliter aggrediendi* verbi nostri potestas. Item vereor, ut ea quam volunt notio 2 Sam. 12, 16. 17. ferri possit. De Davide ibi traditur, propter indictam filii sui, ex Bathseba recens nati, mortem, eum precatum esse Deum, cibo abstinuisse, vigiliasque humi prostratum peregisse; tum vero, ut hinc erigerent herum, familiam servorum domesticorum ei adstitisse: וְשָׁכַב אַרְצָה וַיָּקֻמוּ זִקְנֵי בֵּיתוֹ עָלָיו לַהֲקִימוֹ מִן־הָאָרֶץ וְלֹא אָבָה. Quibus in verbis equidem persuadere mihi non possum id referri, quod servi adstitissent regi cum quadam auctoritate et inspiciendi eius causa, sed describi potius censeo aut rationem ut ita dicam localem inter regem, in inferiori loco cubantem, et servorum corpora, supra eum eminentia, qualis est usus particulae עַל in solennibus formulis de satellitibus apud regem עֲבָדָיו נִצָּבִים עָלָיו, 1 Sam. 22, 6. 7. 17. et angelis coram Iehova Iob. 1, 6. 2, 1. Zach.

6, 5. Ies. 6, 2. coactis *), aut accessum indicari servorum ad Davidem id agentium, ut precibus et auctoritate — si qua omnino est famulorum apud heros auctoritas — Davidis pertinacem tristitiam flecterent et in laetiorem animum converterent. — Cetera loca Deuter. 19, 15. 25, 6. 2 Paral. 21, 4., in quibus simili saltem sensu phrasin קוּם עַל Franckius apud Rosenmuellerum usurpari observat, longissime distant, neque ullo modo in censum venire possunt. Igitur quae in arabico sermone incerta, et apud Hebraeos incognita est verbi קוּם c. עַל notio, *adstandi rei, inspiciendi, et curam eius gerendi*, eam quod ab Iobi loco alienam dicimus, mirandum profecto non est.

Haec quo ducant, neminem latet, nimirum ad id, ut formulae קוּם עַל et nativam et communi usu tritam significationem *standi supra aliquam rem* etiam hic valere putemus, cui si quis adiicere velit cum Schultensio leve auctoritatis vel imperii indicium, nos quidem adversarios non habebit. Atque pro hac quidem interpretatione eximius quidam cernitur etiam hic loci, quem alibi observare licet, sententiarum in Iobi sermonibus ad graviora et audaciora progressus; Deus enim, qui ut testis vitae integrae commorari in coelis 16, 19. dicebatur, nunc patroni instar iam non solum existere, sed etiam ut praesens posthac super terram appariturus

*) Huic explicationi ne quis obiiciat, regem throno insidentem potius superiorem quam servos locum tenere; putandus enim est hic dicendi usus iam tum constitutus esse, quum domini humi considerent, servis apud eos stantibus, idemque tantopere firmatus fuisse frequenti usu, ut vel postea, quum thronos sibi exstruerent reges, retineretur. Scilicet longe ante quam reges thronos suos occupabant, invaluerat linguae usus.

describitur. In hunc sensum, gravem profecto cum ad solandum Iobum, tum ad flectendos adversarios nec non simplicissimum et linguae aperte convenientissimum, unum video praeter Umbreitium l. c., Winerum et Gesenium in lexicis suis, inter vetustiores Crinsozium quendam tendere, quem politissimum hominem Gallicum nominavit Schultensius. Neque offendere nos debet, ut antiquos theologos, divinae et extraordinariae apparitionis exspectatio, ab Iobo concepta, quoniam saepius in hoc libro cum Deo coram iudicis tribunali congrediendi votum expromitur, tum de Deo apparituro ad visitandos homines ipsum illud vocabulum קוּם usurpatur 31, 14. וּמָה אֶעֱשֶׂה כִּי־יָקוּם אֵל, deinde ad patriarchas, quibus similem auctor finxit Iobum suum, Deum accessisse fama ferebat, denique eundem alii etiam libri V. T. super terram stantem describunt Zach. 14, 4. וְעָמְדוּ רַגְלָיו בַּיּוֹם־הַהוּא עַל־הַר הַזֵּיתִים, et exitus tandem libri huic spei egregie respondet.

§. 11.

Quod supra professi sumus, nefas videri nobis e coniectura textum mutare, quem omnes eodem modo exhibeant codices, quique, ut nunc exstat, commodum sensum praebeat, id maxime in tractando priori versus 26. membro nonnulli parum curaverunt. Inventi enim sunt, et inter hos etiam Ilgenius, qui vocem וְאַחַר pro verbo habentes, eius puncta ita mutarent, ut prima evaderet persona futuri Kal וָאֵחַר, quae in V. T. solum Genes. 32, 5. legitur. Adsciscunt notionem commorandi, moras nectendi, ac בְּ suppleto ante עוֹר, hunc sensum eliciunt: *„et commorabor, moras nectam adhuc in cute mea* ornate pro: *vivam adhuc per tempus.“*

At vero hoc nisi est supplementis supervacaneis iugulare et tanquam furca torquere sacros scriptores, hanc nullo passi unquam sunt tempore. — In cassum ad contrarium sensum nituntur Doederleinius et Dathius, a quibus וְאַחַר pro futuro coniugationis Hiphil habetur, et versio proponitur: *deponam cutem meam;* est enim et abiiciendi vel deponendi vis ab hoc verbo, et coniugatio eius hiphilica ab usu V. T. prorsus aliena. Mittamus igitur haec ut subtilius excogitata et longe petita, id potius probaturi, quod vel imperito linguae hebraeae, et solum in arte litterarum ductus interpretandi exercito, se ultro offerret, nimirum וְאַחַר habere aliquam ut in litteris ita in sensu suo rationem ad simillimam vocem antecedentem וְאַחֲרוֹן. Quod facit, ut cum ceteris interpretibus omnibus אַחַר pro usitatissima illa coniunctione *postquam* habeamus *). Sed etiam sic aliquod remanet dubium de eo, utrum coniungenda sit particula אַחַר cum עוֹרִי, ita ut *post cutem meam* de tempore dictum esset, *postquam consumta et corrosa fuerit cutis*, quod Rosenmuellerus, Umbreitius et Winerus volunt, an cum verbo נִקְּפוּ copulanda, ut a Kosegartenio et Gesenio factum, quorum posterior vertit: *postquam destruxerunt hanc cutem meam.* Prius illud haud scio, an satis defendi possit. Occurrit quidem in paucis quibusdam formulis אַחַר הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה Gen. 15, 1. al. אַחַר הַמַּבּוּל Gen. 10, 1. אַחַר נְדָרִים Prov. 20, 25. אַחַר de tempore cum notione *praetereundi*, quae et ipsa, si rem severe quaeris, a *destruendo* diversa est, sed illas vix dubito pro ellipticis phrasi-

---

*) De significatione *praeter*, quam ad hunc locum admovit Noldius (Concord. particul. p. 10.), nihil dico; ea enim omni fundamento caret.

bus, per breviloquentiae studium exortis habere. Quippe eae omnes sic sunt comparatae, ut possis infinitivum eius radicis, a qua substantivum formulae derivatum sit, addere, eoque suppleto procedat praetereundi vel absolvendi notio. *Post verba* אַחַר הַדְּבָרִים nihil enim est, quam אַחַר דַּבֵּר הַדְּבָרִים *postquam verba dicta erant*, אַחַר נְדָרִים *post vota* dicitur pro אַחַר נְדֹר נְדָרִים *postquam vota vota erant*; ad אַחַר עוֹרִי autem vix habebis, quem possis simili modo addere infinitivum. Ac quemadmodum dixeris, si quis e. c. אַחַר הַבַּיִת *pone domum* verteret *post domum destructam*, id aut falso aut certe artificiosius fieri, sic hic etiam אַחַר עוֹרִי aut reddendum est *pone cutem meam*, quod multis nominibus reprobandum, aut אַחַר cum verbo נִקְּפוּ coniungendum est, quod unicum refugium restat et facere ea etiam suadent, quae infra de voce נִקְּפוּ disputabuntur. In quo noli putare opus esse addito אֲשֶׁר, cum absentiam eius in eodem sensu *postquam* defendant loca Iob. 42, 7. Levit. 14, 43.

De vocabulo עוֹרִי me puderet monere, id non esse a verbo עוּר *evigilare* derivandum, nisi nonnullis, ne quid intentatum remaneret, grammaticam nihil curantibus hoc ita visum esset. Tulerunt a Michaeli, quam meriti sunt, facti sui improbationem. — Magis fraudem fecit etiam cautis quibusdam nostrae aetatis viris, quod Schultensius ad h. l. contendit, et ad cap. 18, 13. copiosius exposuit, cutem עוֹר passim latiori sensu pro toto corpore appellari. Sed, quod pace tanti viri dictum sit, hoc nusquam in V. T. usu venit, videturque illa observatio isti, quo tantopere delectabatur, arabici sermonis studio condonanda esse. Hebraeos enim religiosissime cutem עוֹר, carnem בָּשָׂר, ossa

עֶצֶם, ex quibus humanum corpus constat, communi linguae usu distinxisse, e locis Ezech. 37, 4. ss. Mich. 3, 2. videre est, et in nostro loco maxime tenendum. Apud Ezechielem reviviscendi homines mortui sic describuntur, ut primum eorum עֲצָמוֹת inter se copulentur, deinde addantur בָּשָׂר et גִּידִים, ac denique עוֹר superinduatur; Michas contra miserrimas pauperum oppressiones ab opulentioribus perpetiendas metaphorice per corporum destructionem adumbrans, hos dicit illis primum cutem abscindere, גֹּזְלֵי עוֹרָם מֵעֲלֵיהֶם (הִפְשִׁיטוּ), tum pergentes ad interiores corporis partes, comedere eorum carnem אָכְלוּ שְׁאֵר עַמִּי, denique intima ossa confringere אֶת־עַצְמוֹתֵיהֶם פִּצֵּחוּ. Disci hinc plura possunt in nostra re haud spernenda. Namque apparet, עוֹר pro lubitu explicare de carne sive toto corpore, omnium minime licere, praesertim quum statim iniecta sit, ut hic factum vides, carnis בָּשָׂר mentio, imo optime praecepisse Umbreitium: „*Haut ist aber hier zu urgiren, und bewahret, richtig aufgefasst, vor der falschen Erklärung des ganzen Verses.*“ Deinde elucet etiam, homines, quorum cutis lacerata et destructa dicatur, non censendos esse prorsus emortuos, sed sic primum quasi gradum appropinquantis mortis significari, tum demum perfectae, quum etiam caro et ossa sint consumta. Ac denique praetermittendum non est, quod Michae et alii loci Ps. 14, 4. 35, 25. Thren. 2, 16. Hab. 3, 14. Numer. 24, 8. Deuter. 7, 16 docent, saepius ab hebraeis scriptoribus eos, qui male tractaverint pauperes, conviciis et criminationibus vexaverint miseros, per imaginem dictos esse horum corpora conficere. Quam metaphoram, ut etiam in nostro loco obtinere putes, eius facile adducere possit indoles. Hic enim ad adversarios

Iobi inde a versu 21. usque ad finem capitis tota oratio dirigitur, (hi illi sunt, qui v. 22. carnem Iobi devorare dicuntur, quorum sententiae in versu nostrum proxime praecedente (v. 25: וַאֲנִי) et statim sequenti (v. 27.) Iobus suam persuasionem opponit, quos versu 28. loquentes inducit, et versu 29. divinas poenas manere affirmat. Huc quum attendas animum, parum fortasse aberis, quin quod generaliter dicatur: וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ, referas cum Iarchio ad eosdem illos adversarios Iobi, quibus, ut versu 2. *verbis* eum *contundere* dicebantur, in hoc loco tanquam carnivoris (v. 22.) attribuit cutis suae lacerationem. At si cui scrupulum iniiciat levius illud, quod hic non metaphorico, ut alias, sed proprio sensu de cute absumta agitur, ideoque dubitetur, Iobi adversarios pro subiecto verbi נִקְּפוּ habere, maneatur in eo, quod a Schultensio iam propositum, recentiores tantum non omnes approbaverunt, ut tertia persona pluralis impersonaliter et sensu passivo accipiatur: *et postquam cutem meam contuderint* pro: *postquam cutis mea contusa*, saevissimis plagis confecta ac dissoluta *fuerit*. Cf. Gesenii *Lehrgb.* p. 798. Ewald. *Gramm. der hebr. Spr.* p. 280. Cetera, quae mira licentia de subiecto et significatione verbi נִקְּפוּ tentaverunt, nunc quidem longa confutatione vix indigent. Crassiora perstrinxit Schultensius. Tamen unum est, quod ab antiquioribus interpretibus excogitatum etiam nostra aetate multorum animos occupat nec silentio praetermitti debet. Ii nempe sibi adsciverunt subiectum suppleto verbi נִקְּפוּ participio; quo facto describeretur corporis absumtio, cuius cutem, carnem et ossa (haec enim omnia illis promiscua sunt) depascerentur נֹקְפִים „*vermes, perforantes et tanquam pertundentes.*“ Arrisit

hoc inter doctos Belgas plerisque, deinde Doederleinio, Dathio, Kosegartenio. Sed voluerim, ut ex rei natura, vel uno certe exemplo demonstravissent, vermes in aliquo V. T. loco dictos esse, aut pro significatu verbi נָקַף dici potuisse נוֹקְפִים; nimirum arabico نغيف *teredine exesus caudex truncusve palmae* parum profici, quivis videt. Habet autem, ut breviter dicamus, de quo Schultensius *Origen. Hebr.* p. 154 ss. copiose, sed parum feliciter in multis scripsit, verbum נָקַף communem cum multis radicibus, per litteram Nun et sonum K constitutis, percutiendi et caedendi notionem, sic tamen in hoc verbo limitatam et certius definitam, ut ad rem aliquo modo circumductam pertinere debeat ictus. Hinc نقف apud Arabes, interprete *Dschauhario*, est كسر الهامة *caput*, videlicet cranio circumdatum, *diffringere*, apud Aethiopes significat *decorticavit*, *deglupsit*, et Hebraeis נָקַף usitatum est de fruticetis arboribusque, quibus cortex circumductus est, caedendis. Nunc facile senties, quam sit eleganti comparatione usus auctor, quum verbum נָקַף ad disruptam et ex carne avulsam cutem, corticis instar corpus humanum circumdantem (cf. 18, 13.), traduceret; quod quantopere rei naturae conveniat, Romani quoque sensisse videntur, deglubere illud suum pari modo a plantis ad hominum corpora transferentes. Pro hoc autem significatu verbi נָקַף quo pacto vermes, a quibus omnis caedendi vel percutiendi actus longissime abest, appellari potuissent נוֹקְפִים, equidem non perspicio, multo magis accommodatam primigeniae huius verbi potestati censens illam apud Thalmudicos vocabuli נוֹקְפִים significationem *lanio-*

num et *victimariorum.* Absit igitur vermium istorum, cutem Iobi arrodentium, commemoratio, pariter atque ulcera, morbi, dolores vel alia quaecunque, de quibus nimis promta ad coniiciendum ingenia cogitaverunt, a mente Iobi aliena. Sed videat etiam unusquisque, ne ad alteram notionem verbi נָקַף *circumdare* *) cum Vulgata et Luthero deflectat, et sensu suo hic loci parum claram istam, et usus coniugationis Piel refragantem.

At iam video, haec disputando nos pro explorato posuisse, נִקְּפוּ constructione cum antecedentibus verbis coniungendum esse; de quo plerisque longe aliter visum est. Quippe etiamnunc clarissimi viri נִקְּפוּ ad זֹאת, quod sequitur, referre solent, sed diverso modo; aut ita ut זֹאת subiectum, aut ut obiectum verbi efficiat. Utrique זֹאת δεικτικῶς accipiunt, eo tamen discrimine, quod hi ossium compagem ac totum corpus, illi vero cariem, ulcera, vermes, ex verbo נִקְּפוּ suscitatos, isto pronomine significatos volunt. Posterius fatemur quidem commodum aliquem sensum praebere: *postquam cutem meam confecerint hae tantae plagae;* sed vix fieri posse videtur, eum ut cum textus verbis concilies. Primum enim quam ex vocabulo נִקְּפוּ repetunt notionem ulcerum vel vermium, supra expositum est, in eo minime contineri; deinde grammatica vetat, זֹאת, singularem puta pronominis demonstrativi, cum verbo plurali coniungere,

*) Haec ex primigenia significatione sic nata est, ut sensim ad alteram partem notionis, caedendi puta, minus respiceretur, altera autem, circumdandi potestas, invalesceret. *Conterere* et *absumere* ut vestes verbum נקף nusquam significat; quapropter vereor, ut recte disputaverit Crednerus (*Ioel* p. 147.) de נִקְפָּה apud Jes. 3, 24.

ac denique idem hoc זֹאת de doloribus interpretari, quos nec digito monstrare potes, neque in hoc loco usquam vides commemoratos, caveant huius sententiae defensores, ne sibi audaciae, imo temeritatis notam contrahat. — Magis placere posset primo adspectu alterum illud, ut זֹאת obiectum verbi נִקְּפוּ constituat, quo pertineant ictus: *et post cutem meam absumtam quamvis contuderint hoc*, quod digito monstravit corpus, aut hanc carnem, cuti proximam. Ubi autem talibus ad sustentandam aliquam explicationem artibus opus est, ut corporis quidam gestus, nictatio oculorum, digitorum vel manuum intentus fingantur, de quibus nec textus quidquam tradit, neque aliud quoddam testimonium est, ibi equidem rem conclamatam ac paene ad desperationem interpretem adactam dixerim. Idcirco etiam scripsisse videtur Schultensius: „זֹאת δειϰτιϰῶς pro *carne* et *ossibus*, non tam clarum commodumque, ut nefas sit de alio cogitare.“ Ac quod gravius est, per istam verborum constructionem tam profunda obscuritate Iobi dictum obnubilant et in eam adducunt ambiguitatem, ut qui audivissent eum loquentem, de animi sui sententia incerti haesissent, neque ipsi interpretes possent aliter quam pro suo quisque arbitrio aliquid certius constituere. Quid enim intento suo digito significaverit Iobus, utrum ossium compagem, quod Rosenmuellerus censet, an carnem sub cute et arvinam, ut Umbreitio videtur, in diversas partes disputant, et etiam eos, qui praesentem viderent Iobum, latere debuit, quoniam cute haec omnia adhuc obtegente, ostendi et conspici neutrum poterat. Vides fluctus scopulosque, ad quos propellit illos interpretes fatale suae constructionis sidus. Cui denique etiam alia difficultas obstat, quam

equidem non video quomodo removeant. Videlicet distinguunt UMBREITIUS et ROSENMUELLERUS, quamquam hic versione sua paululum rem texit, nostrum hemistichium in duo haec membra, conditionaliter posita: *si consumta esset cutis mea* (וְאַחַר עוֹרִי) *ac si vel reliquum hoc corpus* (U. haec caro) *confractum esset* (נִקְּפוּ זֹאת); quod ea solum conditione admitti posset, ut particula וְאִם addita, aut certe Vav ante נִקְּפוּ adiectum esset, quo absente ut nunc leguntur verba hebraica istam neutiquam ferunt explicationem. Atque haec illa sunt, quae etiam per accentus commendatam vocum זֹאת et נִקְּפוּ coniunctionem prohibeant.

Nec felicius in hoc loco ii versati sunt, qui, ut LUTHERUS et nostro tempore ipse GESENIUS (*Thesaur.* s. v. אחר), זאת retulerunt ad עוֹרִי, hoc sensu: *postquam destruxerunt hanc cutem meam.* Nam quod TYMPIUS contra monuit in *Annott. et Vindic.* ad NOLDII *Concord. partic.* no. 80., זאת non posse cohaerere cum עוֹרִי, femininum cum masculino, pondus habet, etiamsi unus locus exstet, in quo זאת cum masculino coniunctum reperiatur. Accedit collocatio verborum, huic coniunctioni tam aperte et graviter contraria, ut hac sola prorsus profligetur. Hoc enim inauditum et sine exemplo esset, ut adiectivum substantivo suo postpositum, ab eo interiecto aliquo verbo separaretur. Igitur desinant tandem aliquando viri docti, de coniungendo pronomine זאת cum antecedenti aliqua voce cogitare, ac potius in eo acquiescant, quod CHALDAEUS, approbante uno KOSEGARTENIO, proposuit, ut זאת per se sumtum aposiopeticam phrasin constituat, et reliqua verba וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ in alteram enunciationem copulentur. Sic haec versio evadit: *et postquam cutem meam decusse-*

rint, *hoc* sc. futurum est. Quid autem futurum sit, neminem praeterit, nempe illud, quod in membro proxime antecedenti dictum erat, posthac Deum super terram appariturum esse. Vides, hanc secutus explicationem, adiecto hoc novo membro antecedentis sententiam accuratius definiri, cuiusmodi quum per totum locum regnet studium, in hac ipsa re nostrae interpretationis laus aliqua et commendatio contineri videtur. Quemadmodum enim tradita illa in priori versus 25. hemistichio sententia, Deum tanquam patronum Iobi vivere, ad huius praesentem conditionem propius admovebatur, ut videbatur opus esse, ac magis augebatur, dum in sequenti eiusdem commatis membro, posthac illum patronum in hac terra appariturum esse, affirmabatur: ita quod etiam in hac affirmatione incertum relictum erat temporis momentum spei explendae, nunc additis iis verbis, de quibus agimus, definitius ad illud revocatur, quando cutis Iobi absumta, ideoque mortis periculum quam proximum foret. Sentis, quam bene pro ista explicatione sententiae invicem sese excipiant, flumenque orationis sine murmure decurrat. — At audire mihi videor obstrepentes nonnullas doctorum virorum voces. Sic enim, dicat fortasse quispiam, sperni a nobis, זֹאת ad praecedentem enunciationem referentibus, discrimen inter הַזֶּה et הַהוּא, a Rueckerto in *Berlin. Jahrbüch. f. wiss. Krit.* 1831. No. 12. indicatum, pro quo הַהוּא, ut Graecorum οὗτος, solum de antecedenti aliqua vel satis legentibus cognita notione, הַזֶּה autem, ut ὅδε, non nisi de sequenti et nova quadam, adhuc incognita dicere liceat re vel persona. Revera spernitur ista observatio, et quod ad nostrum locum, ubi articulus pronomini זֹאת deest, omnino non pertinet,

et quod וזאת ad res supra commemoratas sexcenties in V. T. refertur. Levit. 11, 46. 12, 7. Iob. 2, 10. 17, 8. 33, 12. 42, 16. Obad. 20. al. — Deinde ne id quidem vitio nobis datum iri veremur, quod וזאת elliptice positum ac verbum substantivum תִּהְיֶה supplendum putamus; id enim ex natura ellipseos vel aposiopeseos, et communi linguarum usu satis defenditur. Quippe pro aposiopeseos lege, si modo e contextu sensus pateat, omitti potest, postulante id consilio dicentis, quaecunque tandem sit pars orationis. Itaque quod absurdum esset in universum contendere, וזאת per se, ubicunque tandem sit, perfectam aliquam propositionem efficere posse, id recte statuitur aliquoties, ubi contextus adiuvat legentes, per istam reticentiam fieri. Haec vero quum sit mere rhetorica figura, quae a sententiae singulari indole et dicentis oratorio consilio pendeat, non potest e grammaticis regulis repeti, quibus iam est, quum non laedantur hac aposiopesi, satisfactum, neque ex certo quodam usu vocabuli וזאת derivari debet; at nihilominus certissima est et exemplis in Glassii *Philol. Sacr.* p. 2012 ss. probata, ita ut qui eam ad nostrum locum admittere dubitet, profecto haud prudentius ageret, quam si in Horatii Od. II. 37, 17—20. verbum premendi cogitando supplendum esse negaret, etiamsi huius verbi ellipsis fortasse ne ullo quidem alio exemplo defendi possit. Atque ista reticentia si quopiam, facile praesertim apud Hebraeos in verbum substantivum cadit. Nam quod in aliis linguis saepius fieri solet, ut hoc verbum prae ceteris silentio praetermittatur, id ut fiat apud Arabes et Hebraeos tum, quum copulam efficit inter substantivum et adiectivum, paene lege sancitum est. Hoc quamquam ad nostrum exemplum non peni-

tus pertinet, ubi verbum omissum praedicati apud וזאת locum tenet, tamen proclivitatem aliquam ostendit ad hoc prae ceteris silendum verbum. Illam vero quam nos hic statuimus omissionem verbi substantivi aposiopeticam apertissime Hebraeis vindicant aliae quaedam apud eos quotidiano usu tritae formulae, ut עַד־מָתַי *quousque* sc. *hoc est futurum* Habac. 2, 6. Ies. 6, 11. et elliptica phrasis אִם־כֵּן sc. יִהְיֶה in Genes. 25, 22. Tum eandem explicationem etiam arabicae linguae usus commendat, pro quo aeque fideliter ac recte, quem statuimus sensum exprimeres: وَبَعْدَ بِلَي جِلْدِي ذٰلِكَ; ac denique de eadem si quod nihilominus restet dubium, id totum menti eximitur, cogitatione, quod nemo, qui mutato verborum hebraeorum ordine legisset: וְזֹאת אַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ, de ista ellipsi verbi substantivi magis dubitavisset, quam si vernacule dictum esset: *Ich weiss, mein Retter lebt, und endlich wird er auf dem Staube stehn, und d a s, wann meine Haut zerschlagen ist.*

Tandem vel ad accentus considerandos progredimur, qui verbis tamdiu velut inter manus volutis appicti sunt, nobis ipsi verentes infamem istam minuti et angusti hominis notam. Ast etiam hanc feramus, si res postulat. Accentibus quippe separari videntur, quas nosmet construendo copulamus voces עוֹרִי et נִקְּפוּ, coniungi autem a nobis diremtae נִקְּפוּ et זאת; quod tamen non faciet scrupulum, mentesque a nostra interpretatione non abalienabit, quum observaverint, in hoc versu non tam sententiae internam indolem accentibus expressam esse, quam aequalitatem cum antecedenti commate quaesitam. Eam facile vides perfectissimam esse, excepta una linea Makkeph inter נִקְּפוּ־זאת, cui Munach in גֹּאֲלִי

adaequatum non est. Sed non potuit pro toni quadam lege, quam acute observavit GESENIUS *Lhrgb.* p. 117. 18., hanc discrepantiam effugere accentuator; quum ad evitandum concursum duarum syllabarum, tono affectarum, lineola Makkeph apponenda esset vocabulo בְּקָפּוֹ, in quo syllaba penultima esset composita, in voce בְּאֵלִי autem, ubi in vocalem exiret syllaba penultima, in hanc ipsam tonus deberet adscendere. Sic igitur accentuum in ambobus versibus est consensus absolutus, quem quum magis curaverit auctor, quam sententiam, verbis expressam, patet, ubi de hac agatur, accentus in censum non venire. Atque haec fere sunt ista, quae nostrae maxime obiici possint interpretationi. Pro qua ne id quidem damus, ut temere vel per casum quendam auctor verbum תִּהְיֶה omisisse, aut vulgarem verborum ordinem mutavisse putetur. Etenim addas verbum quod deest, reponas etiam voces in usitatum ordinem: וְזֹאת תִּהְיֶה אַחַר נִקְּפוּ עוֹרִי, et languidam habes, ad pedestris orationis humilitatem depressam propositionem, quae contra ut nunc in textu exstat: וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ זֹאת ipsa enunciandi sua ratione, per aposiopesin verbi substantivi et mutatam vulgarem collocationem, vix dici potest quantum gravitatis ac ponderis acquirat. Praeterea placuisse videtur auctori, hoc membrum ab eodem atque antecedens incipere vocabulo: אַחֲרוֹן et אַחַר, quo facto pronomini זֹאת alius quam in fine propositionis relictus non erat locus; quod autem obiectum עוֹרִי verbo suo praepositum est, id praesertim in notione cutis pondus inesse, huiusque contra בָּשָׂר quod sequitur oppositionem significat. Cf. GESEN. *Lhrgb.* p. 856. EWALD *Gr. d. hebr. Spr.* p. 376. Tam graviter igitur et oratorie scripsit, tamque sapienti

arte usus est auctor in componendo hoc versu, in quo omnes versati interpretes singulari casu horum nihil videbant!

Atque simul monstravit auctor sua verborum collocatione, quomodo מִבְּשָׂרִי intellectum voluerit. Ex ea enim, ut indicavimus, apparet, עוֹרִי cutem opponi carni, ut prope sit cogitare, Iobum quum cutem suam consumtam fore diceret, quando Deus appariturus esset, eodem tempore carnem suam adhuc servatam credidisse, seque ex ea (מִבְּשָׂרִי) adhuc superstite Deum conspecturum. Huc praeterea usitatissima particulae מִן potestas aperte ducit, itemque quod in versu proxime sequenti Iobus spem, Deum oculis sui corporis conspiciendi, verbis luculentissimis declarat. Tali modo iam satis redargutam censeas privativam istam significationem praepositionis מִן, adoptatam inter multos alios etiam ab Umbreitio, secundum quam Iobus sibi vel ad compagem ossium, carne et cute spoliatorum, redacto (מִבְּשָׂרִי *absque carne*) Deum tandem adspiciendum exspectaret. Cui etiam hoc obstat explicationi, quod omnino ista admodum incerta est particulae מִן potestas; quippe in omnibus iis locis, quos viri docti, Rosenmuellerus ad Mich. 3, 6., Ewaldius l. c. p. 262., Winerus et Gesenius in lex., citarunt, adiectum aliquod vides, ut bene monuit Kosegartenius l. c. p. 17. s., aut substantivum (Iob. 21, 9. שָׁלוֹם) aut verbum (Iob. 11, 15. תִּשָּׂא), in quo recedendi, liberandi, privandi notio continetur. At in nostro loco huius generis vocabulum nullum legitur. Qui vero denique id sibi concedunt, ut מִבְּשָׂרִי *e corpore meo post mortem redintegrato* vertant, videant quomodo possint licentiae immoderata sibi sumentis opprobrium a se averruncare.

Quam in sequentibus verbis אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ Iobus declarat, exspectationem, ipsius Dei conspiciendi, supra dictum est, scrupulum fecisse Rabbinis, vel argutissima quaeque et maxime contorta tentantibus, ne tali sententia pietas ac religio legentium laederetur. Relinquamus haec iis sine invidia et ira, quum etiam inter Christianos existerent, qui non minus textum torquentes, haec verba de agnita ab Iobo summa Dei potentia, sapientia et beneficentia interpretarentur. Commemoravisse haec, est refutasse. Nec cum Grotio quidem *videre Deum* accipere hic velim, ut in V. T. passim occurrit, pro *propitium experiar;* quoniam nativam phraseos significationem deserendi, iusta ratio non est, imo quae in sequenti versu de Deo humanis oculis contemplando leguntur, potius de praesenti eius adspectu cogitare iubent, qualis in fine libri 38, 1. 42, 5. לְשֵׁמַע אֹזֶן שְׁמַעְתִּיךָ וְעַתָּה עֵינִי רָאָתְךְ Iobo vere obtigisse traditur. — Pro hac verborum interpretatione quomodo potuisset ab Iobo spes, fore, ut sibi, quamquam morti proximo, tamen adhuc in vita superstiti Deus se conspiciendum praebeat, certius ac luculentius expromi quam hic factum est, equidem non perspicio, imo huic loco, in quo omnia tam clara luce splendent, tenebras non nisi pertinaci obscuritatis studio obfundi posse arbitror.

Sed occupabat animum Iobi, ut recte monet Pareau apud Rosenmuellerum, duplex exspectatio, altera poenae, a Deo in censores iniquos aliquando exercendae, altera favoris divini, sibi ante suum obitum reconciliandi. Nec tamen, quum de sola apparitione Dei in terra et eius conspectu, Iobo antequam moreretur concesso, hucusque actum esset, satis patebat, in utram partem aut gratia aut ira Dei propenderet, nisi diligenter ad leve illud

indicium in nomine cum suffixo הַאֲלִי attendas. Quapropter non sine copia quadam verborum, favorem divinum ad Iobum attinere, in commate 27., poenas autem adversarios manere, in versibus 28. 29. exponitur. Deum igitur, ad quem modo nominatum sine dubio referendum est אֲשֶׁר, „*ego*, inquit Iobus, *videbo mihi* i. e. propitium, repetitaque sententia ne quid omnino dubii restaret affirmat: *oculi mei conspiciunt ac quidem non abalienatum.*“ Ad Deum pertinere illum Iobi conspectum, nemo facile dubitabit, sed vix, ut vulgo fit, opus esse dixerim, tertiae personae pronomen ex antecedentibus supplere, quum per circumlocutionem וְלֹא־זָר obiectum satis sit indicatum. Per praeteritum רָאוּ certissimum rei futurae eventum exprimi, optime monuit Rosenmuellerus; sed quod idem vir doctus cum de Wettio לֹא־זָר ad Iobum retulit, quippe qui ipse, non alius sui loco Deum conspecturus esset, id senties, si te totum in mentem Iobi et nexum cogitationum insinuaveris, ab eo abhorrere. Accedit, ut Umbreitius notat, quod hac ratione non solum certus ille particulae לֹא usus, quem Gesenius *Lhrgb.* p. 832. et Ewaldius l. c. p. 292 s. descripserunt, negligitur, sed etiam sententia mirabilis cogitatu prodit. Scilicet unde suspicio, alium nescio quem sui loco Deum visurum esse, Iobo venerit, aut qua de causa id negaverit, dictu difficile esset. Qui vero Iobo spem vindicant, quod sibi soli, non aliis (וְלֹא־זָר) contingeret Dei adspectus, etiam longius a vero aberrare videntur, quandoquidem einsmodi theophania, quae a ceteris percipi non posset, parum ipsi profuisset, et neque ad agendas apud amicos innocentiae suae vindicias, neque ad poenas ab iis per divinum indicium (v. 29.) sumendas, aliquo modo

accommodata fuisset. Sin vero Deus dicitur לֹא־זָר, haud sine aculeo adversus amicos, quippe quibus זָר foret, per negationem contrarii idem, quod לִי antecedens affirmative expresserat, asseveratur, nempe id, in quo summa totius sententiae posita est, Deum conspectum iri ut faustissimum et maxime propitium suum vindicem. Itaque quid mirum, quod vir gravissimis doloribus pressus, obrutus acerbissimis miseriis et ipsorum amicorum conviciis male vexatus, cui tamen per internam vitae integerrimae conscientiam spes certa iustissimi et gratissimi triumphi affulgebat, desiderio huius propediem adipiscendi paene consumebatur? כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֵקִי *pereunt renes mei in sinu meo*, quippe dolore affecti ex vehementissimo Iehovae apparituri desiderio, exclamat cum iucunda paronomasia, omnium piorum hominum patientissimus, ut النابغة الذبياني apud Guadagnolium (*Gramm. Arab.* p. 325.):

كِلِينِي بِهَمٍّ يَا أُمَيْمَةَ بِنَاصِبِ
وَلَيْلٍ أُقَاسِيهِ بَطِيءِ ٱلْكَوَاكِبِ

„Renes mei per moerorem, Omina!, lassati sunt,
Et nox horrida est cum obnubilis stellis.“

§. 12.

Nunc tandem contrahamus vela, et per tot diversissimarum sententiarum gurgites scopulosque, tamque procellosum mare vecti, portum aliquando quaeramus. Videmur autem nobis ex tam longinquo cursu hanc brevissimam sententiam reportare, Iobo persuasum esse, Deum, ut patronum maxime propitium, sibi, morti proximo, tandem in hac

terra appariturum esse. Atque haec in unam a nobis enunciationem coniuncta ab auctore in plura membra distincta sic proferuntur, ut primum Iobi vindicem omnino existere et appariturum esse, in versu 25. affirmetur, deinde hoc quando eventurum sit, in versu 26. accuratius definiatur, ac denique quomodo erga miserum sed probum hominem affectus Deus conspiciendus foret, in versu 27. describatur. Tali modo per gratam cogitationum et verborum gradationem, a minus finitis ad certiora procedentem, rotundus aliquis efficitur et perfectus laetissimarum sententiarum orbis. Nec quidquam equidem in causa esse video, ut sepulcrale aliquod carmen, epitaphii loco lapidi insculpendum, in his contineri cum Schultensio existimemus, aut ut pro mera pietatis et fidei confessione, adversariorum calumniis opposita, cum Mercero ac Drusio habeamus, ita ut nihil aliud hac confessione consignaretur, quam „ego credo in Deum eiusque providentiam, etiam in media afflictione," quod ad aliena trahit et diluit nervose dictum: imovero putandum hoc est effatum gravissima, ex intimo pectore manans et per innocentiae conscientiam afflata obtestatio de futura honesti viri, aliquamdiu patientis, victoria ac triumpho certo, magnifico, divino. Quae quidem asseveratio tota ad Iobi et adversariorum sortem in hac terra pertinet, et ultra huius vitae limites non procedit. Sic huius dicti cum sequentibus verbis nexus est arctissimus, sic contra notiones Iobi de rebus post mortem futuris repugnantia nulla, sic pondus suum et nativam significationem unumquodque vocabulum habet, et denique exspectatio (ut passim alibi Cap. 14, 14. ad h. l. Rosenmuell. et Ilgen. l. c. p. 150. 155. 161. ad futura praeparantur legentium animi) convenit cum

carminis exitu. Quamquam igitur nec de morte Iobi, nec de resurrectione et supremo iudicio, neque etiam de Messia quidquam in hoc loco traditur; manet tamen etiam pro nostra interpretatione, non modo secundi disputantium congressus, cui id proprium est, ut Deus tanquam innocentiae vindex invocetur, sed etiam totius libri hoc sanctissimum et maxime sublime effatum, in quo coeleste patrocinium ut sibi, ita omnibus afflictis ac miseris in hunc modum spondet Iobus:

Nam ego quidem scio, patronum meum vivere,
Et posthac super terram staturum;
Postquam cutem meam decusserint, hoc [futurum est],
Et ex carne mea conspiciam Deum.
Quem ego videbo mihi,
Oculi mei spectant ac quidem non abalienatum.
Pereunt renes mei in sinu meo!